

23

12

43.

1688 30

7. 58.

DISPUTATIO INAUGURALIS
De
REMISSIONE
JURIS PRIVATORUM,

QUAM
 PRÆSIDE
 DEO TER OPTIMO MAXIMO

EX
 DECRETO ET AUTHORITYTE

MAGNIFICI
 DOCTORUM ORDINIS

IN
 ILLUSTRIS ALTDORFFINA
 PRO

Summis in utroq; Jure Honoribus ac Pri-
 vilegiis Doctoralibus ritè consequendis
 PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
 submittit.

GERHARD von *Seerden* /
 Bremâ Saxo.

ANNO M. DC. LXXXIIX. DIE XXVI. JUN.

ALTDORFFI,

Literis SCHÖNNERSTÆDTIANIS.



LIBERÆ ac ILLUSTRIS
SACRI IMPERII ROMANO-
GERMANICI

REIPUBLICÆ BREMENSIS

SENATUI, INCLUTO, PIO, FELICI.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, EXCEL-
TISSIMIS, CONSULTISSIMIS, GRAVISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS,

DNN. CONSULIBUS,
DNN. SYNDICIS,

ET

DNN. SENATORIBUS,
PATRIÆ PATRIBUS.

*Dnn. Mæcenatibus, Patronis, Fautoribus, Promotoribus
perpetuo colendis, venerandis*

Paginas hasce Inaugurales

humillime

dicat, consecrat

AUTHOR.



I. N. D. N. J. C.

Prooemium.



Itium multitudinem ingentia Rebuspublicis adferre incommoda, negabit nemo, nisi qui vel ipse litigandi tenetur libidine, vel ignorat, quæ veram societati civili felicitatem conciliare possunt. Facile hinc intelligitur, quare tam in iudicio, quàm extra iudicium varios observare liceat modos, qui sopiendis civium litibus censentur inseruire. Quos si aliquantum intueamur accuratius, alios laudabiles, alios vituperabiles, alios denique mixtos dijudicari deprehendimus. Exempla singulorum sese ostendunt in REMISSIONE JURIS à PRIVATIS ACQUISITI, quam sub habitu Dissertationis Inauguralis conspectui eruditorum exponere visum fuit. Ne verò sine omni ordine rerumque selectu progredi videar, duas dissertationis hujus constituo partes, quarum prima REMISSIONEM JURIS PRIVATORUM in genere, ejusque causas breviter pro instituti ratione persequitur; altera verò circa evolvendos præcipuos istius casus debet occupari. Quod ut succedat feliciter, divinam mihi opem animitus exoro & polliceor.

A 2

PARS

PARS PRIMA.

I.

REMISSIIONIS vox variè in jure nostro accipitur (1.) pro *relatione*, quâ judex inferior causas dubias ad superiorem remittit, ut is rescribat, quid pronuncian- dum. *t. t. C. de relation.* Quæ relatio hodie non multum in usu & prohibita. *Nov. 125. c. 1.* in cujus locum successerunt transmissiones actorum ad Facultates Juridicas & Scabinatus, de quibus vid. *Renneman. de transmiss. actor.* (2.) Dicitur *de causa*, quæ in judicio jam ventilari cœpta, ut scil. ad illud judicium remittatur, cujus fundamentum vocari solet Exceptio litispendentiæ. Simili ferè sensu in appellatione, causæ dicuntur à superiore judice ad inferiorem remitti, cum scil. superior confirmat sententiam in prima instantia latam, pronuncian- do malè appellatum, bene judicatum & causam ad judicem à quo remittit *c. 59. X. de appellat.* *Gail. 1. obs. 131. n. 5.* *Mynsing. cent. 4. obs. 46.* *Carpz. P. 1. Const. 20. def. 27. 28.* (3.) *De reis*, quos judex loci ubi delictum commissum Jure Civili revocat à judice territorii, in quo deprehensit *l. 7. ff. de custod. & exhib. reor. l. 7. §. ult. ff. de accusat. & inscript. Nov. 134. c. 5.* Hodie hæ remissiones non ex necessitate, sed tantum ex civilitate & urbanitate fiunt. *Franzk. in tit. ff. de judic. n. 46.* *Carpz. in prax. crim. P. 3. q. 110. n. 54.* *Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 16. n. 30. & 31.* Et hæ significationes planè non sunt hujus loci. In præsentiarum vero accipitur pro *relaxatione sui juris*, ubi differt à *renunciatione*, quæ est juris aut beneficii futuri remissio; à *repudiatione*, quâ quis sibi non vult acquirere, quod acquirere poterat.

II.

Describi itaque potest, **REMISSIO JURIS PRIVATORUM**, quod sit *actus, quo privatus alterum à vinculo juris, quo ipsum habet obstrictum quocumq. modo liberat.*

III.

Dividitur hæc remissio (1) in Tacitam & expressam. Hæc mediante pacto aut contractu per verba ore nuncupata, vel literas contrariam voluntatem declarantes exprimitur. *l. 7. §. 1. ff. de liberat. legat. l. 17. §. 1. de pact.* *Mantic. de tacit. & ambig. convent.*

vent. lib. 1. tit. 5. n. 1. & 2. Nutu quoque voluntas remittendi declaratur arg. *l. 52. §. fin. ff. de O. & A. l. 21. pr. de leg. 3. l. 22. C. de fideic. l. 65. §. 3. ff. ad Sc. Trebell.* Pacta verò nutu inita, expresfis annumeramus pactis cum Bachov. *ad Wesenb. in ff. tit. de pactis num. 5. lit. q. verb. primò quòd pacta, qua nutu & magis, qua subscriptione fiunt, non sint tacita, sed imò expressa. it.* Hahn. *ibid. d. n. 5. verb. Muti & surdi.* Tacita fit, quando voluntas remittendi, non per ejusmodi signa, quæ regulariter in commercio hominum recepta sunt, exprimitur; sed quando ex negotii natura, rebus, factis aliisque circumstantiis elicitur. Hinc leges ob æquitatem vel aliam causam ex illis voluntatem remittendi præsumunt, vel etiam fingunt, uti patet ex *l. 13. C. de servit. & aqua l. 2. §. 1. l. 27. §. 9. l. 3. ff. de pact. l. 1. C. de remis. pign. Mantic. d. tit. n. 3. & seqq. Carpz. P. 2. Const. 29. def. 12.* II. In judicialem, quæ coram iudice, & extra judicialem, quæ extra iudicium celebratur. III. In juratam, quæ cum juramento; & simplicem, quæ sine eo peragitur. IV. In totalem, quæ totum, & particularem, quæ pars debiti remittitur. V. In principalem, quæ ipsum debitum, & accessoriam, quæ scil. pignus debito principali manente remittitur. *l. 3. ff. de pact.* VI. In puram cui nec dies, nec conditio est adjecta; & conditionatam, cui dies vel conditio est adjecta. VII. In perfectam & omnibus numeris absolutam, sive consummatam; & imperfectam, quando scil. mulier sine consensu curatoris jus suum remisit.

IV.

Personæ sunt vel remittentes, vel quibus remittitur. Sicuti enim in obligationibus ineundis, ita etiam in illis dissolvendis mutus requiritur consensus; hinc consentire debet, non solum quæ remittit, sed & cui remittitur. Hujus enim consensus si abesset & remissum acceptare detrectaret, res remissa penes remittentem maneret. Quare etiam si rogatio præcesserit, censetur ea durare, nisi expressè fuerit revocata, eoque casu in antecessum acceptatio facta intelligitur, si modo rogationi respondeat remissio. Nam si hæc discrepet, expressa requiritur acceptatio; quia sæpè mihi non consulitur, nisi tantundem, quantum rogavi, accepto. Possunt autem omnes remittere jus suum nisi vel natura vel lege impediuntur. Ob impedimentum naturale remittere prohibetur. (1) Surdus & mutus naturâ simul. *l. 10. C. qui test.*



fac. poss. Qui enim per accidens & alternativè mutus aut surdus est, ac mentem per signa vel literas exprimere, & alios quid velint sic satis intelligere atque illas conventiones, quæ celebrandæ per visum & auditum, signis, literis aut verbis, secundum ipsius conditionem adhibitis percipere, is valide remittere potest. *l. 4. §. 1. ff. de pact. l. 48. ff. de O. & A. (2) Furiosus l. 5. §. 1. ff. de pact. l. 48. ff. de O. & A. l. 14. ff. locat.* nisi dilucida habeat intervalla, tunc enim tempore intermissionis quoslibet contractus facere potest *l. 2. C. de contrah. emt. vend. Paul. Zach. quest. med. leg. lib. 2. tit. 1. q. 16.* (3.) *Mente captus, qui furioso æquiparatur arg. l. 23. §. 1. ff. de donat. l. 17. ff. qui test. fac. poss.* (4.) *Extremè ebrius, in quo ratio planè obruta ac sopita can. 7. c. 15. q. 1. arg. c. 14. X. de vit. & honest. cleric. Vinn. tract. de pact. cap. 14. n. 3.* nisi postea rati habeat, (5.) *Impuberes: cum autem imbecillitas rationis, contrahendam obligationem impediens, jure naturali accuratè determinari nequeat, quia in aliis citius, in aliis tardius judicium maturescit, hinc in Jure Civ. certum tempus est determinatum, & ita infans septenniò minor, nec se naturaliter, nec aliù sibi civiliter obligare, & sic per consequens remittere non potest §. 9. J. de inutil. stipul. Vinn. d. tr. c. 14. n. 9.* Infantia proximus sine tutoris autoritate alium quidem sibi civiliter, seipsum verò ne naturaliter quidem obligat. *d. §. 9.* quare hic cum creditore suo, ne id quod debet, à se peteretur, pacisci potest; cum ipsi conditionem suam meliorem facere, etiam sine tutoris autoritate concessum sit. *l. 28. pr. ff. de pact. l. 11. ff. de A. R. D.* Pubertati autem proximus, quippe cum consensum perfectiorem exprimere potest, sibi alium civiliter obligat, se tantùm naturaliter *l. 25. §. 1. ff. quando dies legat. vel fideic. ced. l. 21. ff. ad L. falcid.* Conf. *Vinn. citat. n. 9. & seqq.* quare ipsi validè ab alio jus remitti potest, si verò alteri illud remittat, jure naturali ad id præstandum est obstrictus, jure verò Civili ad id cogi nequit.

V.

Ob impedimentum civile, scil. quæ non habent liberam rerum administrationem ac potestatem alienandi, illæ remittere prohibentur. Jam tales sunt (1) *Prodigus cui decreto magistratus bonis interdictum l. 6. ff. de V. O. l. 40. ff. de R. J.* (2) *Servus ex sua persona non potest civiliter obligari, nec alterum obligare l. 21. §. 1. ff. de*

ff. de pact. l. 14. ff. de O. & A. (3) Minor curatorem habens sine ejus consensu civiliter non obligatur; si verò curatorem non habeat, subsistit conventio, sed si læsus fuerit restitutionem in integrum impetrare potest. *l. 3. C. de in integr. restit. min. 25. ann.* Idem dicendum de eo, qui veniam ætatis impetravit, is omnia bona administrare, non autem prædia seu immobilia alienare potest. *l. 2. §. 1. in fin. C. de his qui ven. atat. impetr.* quâ in alienatione similis est omnium minorum conditio, siue petita sit, siue non, ætatis venia *l. 3. d. e.* (4) Filiusfam. non potest remittere ex causa peculii profectitii *arg. l. 7. pr. ff. de donat.* etiam si pater liberam peculii illius administrationem filio concesserit. *arg. l. 28. §. 2. ff. de pact.* nisi justa ratio remissionem suadeat *arg. d. l. 7. §. 1. ff. de donat.* vel etiam pater filio potestatem remittendi expressè concedat *arg. d. l. 7. §. 2.* idem obtinet in adventitio regulari, in irregulari verò filiusfam. si est perfectæ ætatis inter vivos liberè disponit ac remittit *arg. Nov. 117. c. 1.* non verò testatur. *l. per. C. qui test. fac. poss.* Similiter in peculio castrensi, cum vice patrisfam. fungitur, debita aliaque jura jam acquisita remittere, ipsi est concessum *l. 2. ff. ad Sc. Maced. arg. l. 7. §. fin. ff. de donat.* Idem observatur in peculio quasi castrensi *l. 6. in fin. pr. C. de bon. qua liber.* (5) Uxor de bonis paraphernalibus & receptitiis valide sine mariti consensu remittere potest *l. 6. C. de revocand. donat. Brunnem. in l. 10. C. ad Sc. Vellej.* Multis verò in locis hoc est mutatum, ita ut in illis uxores sine maritorum suorum, itemque virgines atque viduæ, licet sint majorennæ bona sua sine curatorum consensu, nec donare vel alienare, & per consequentiam, nec alteri jus, quo ipsum habent obstrictum remittere possint *Sächsisch. Landrecht. lib. 1. art. 31. & 45. Carpz. P. 2. Const. 15. def. 25. Mev. in Jus Lubecense lib. 1. tit. 10. art. 1. Kreffting. ad Statuta Bremensia tit. 3. de contract. vel quasi Groenweg. ad l. 6. C. de revoc. donat.* (6.) Tutores & curatores licet in causis pupillorum, minorum furiosorum & similibus, dominorum loco esse dicantur, tamen ex liberalitate, horum credita aliaque jura remittere non possunt. Exigentes enim pupillis creditum, non remittentes, præstant debitoribus liberationem ab obligatione *l. 22. C. de pact. l. 28. §. 1. ff. eod.* Bachov. *in tit. de pact. cap. de pacto administr. n. 4.* (7.) Procuratores, licet sint omnium bonorum & cum libera constituti, tamen neque per transactionem, neque ex liberalitate jura prin-

principalis remittere possunt *l. 7. C. de transact.* Potestas enim liberè bona aliena administrandi, non includit potestatem jus quæsitum gratis remittendi, *arg. l. 7. pr. ff. de donat.* Alex. Trentacinq. *lib. 3. tit. de solut. Resolut. 17. n. 8.* Anton. Faber *in C. lib. 2. tit. 8. def. 13.* nisi speciale habeant mandatum *l. 7. C. de remiss. pign.* vel sint procuratores in rem suam. Hi enim loco domini sunt, & de jure sibi cello perinde ac domini de re sua, libere disponere ac remittere possunt. *arg. l. 17. §. fin. ff. de jurejur.* (8.) Idem asserendum de Antistite ecclesiæ *arg. c. 5. X. de reb. eccles. non alien.* (9.) Vasallus non adeò bene citra concensum Domini ut & aliorum, quorù interest transigere & jus suum remittere potest Dn. Struv. *in syntagm. Jur. feud. C. XII. aph. 8. n. 5. & 6.* (10) Olim reus criminis capitalis, cujus bona fisco cedebant, remittere nihil poterat, id quod hodie in crimine læsæ Majestatis adhuc obtinet. *Const. Carol. art. 218.*

VI.

Fit remissio illi, quæ vinculo juris alteri est devincta, & quæ eam sibi factam, vel expresè verbis ore prolatis, vel in scripturam redactis, vel etiam tacitè & factis acceptare potest; quod posterius fit, si illa cui remittitur, non quidem statim respondet, nec etiam remissioni factæ contradicit. Per procuratorem quoque remissionem acceptari posse constat, modò is speciale habeat mandatum *arg. l. 10. §. fin. l. 12. & 13. ff. de pact. l. 42. pr. & §. 1. ff. de aq. vel amitt. poss. l. 24. ff. de negot. gest.* Carpz. *P. 2. Const. 12. def. 20. n. 4.* vel sit procurator omnium bonorum. Hujusmodi enim procurator domino suo & dominium per possessionem acquirit, modò rati habitio accedat *l. 20. §. fin. ff. de A. R. D. l. 12. pr. l. 34. §. 3. ff. de solut.* Vinn *ad §. 6. J. per quas pers. nob. acq. verb. veluti per procuratorem* & paciscendo principali suo prodesse possit. *l. 10. §. fin. junct. l. 11. & 12. ff. de pact.* non quidem ut eidem pacti, sed tantum doli exceptionem acquirat *d. l. 10.* Si Notario remissio fiat, & is absentis nomine eandem acceptet, ipsi debitori nihil acquiritur. Joh. à Sanden. *ad l. 73. §. ult. ff. de R. J.* Hahn. *ad Wesenb. tit. de pact. n. 7. verb. Notarius.* In multis tamen locis per receptam consuetudinem contrarium observari, tradit Sanden. *cit. loc.* quod tamen propterea in dubium vocat Hahn *d. loc.* quia sine præcedente requisitione nequicquam Notarius agere possit. *R. J. de An.*

anno 1512. Von Notarien. s. und demnach *ib.* die allweg darzu erbetten und gefordert. Verum ubi talis consuetudo obtinet, imple creditor hoc requisitum adimplere & Notarium rogare poterit. Moribus quoque hodiernis extraneam personam alteri stipulari, pacisci & sine nova traditione & cessione acquirere posse tradit Gröenweg. *de leg. abrog. ad §. 19. f. de inutil. stipul. n. 6. & ad l. 1. C. per quas pers. nob. acq.* Hoc vero ubique locorum observari, dubitat Sand. *lib. 5. dec. Frisic. tit. 1. def. 1.* Carpzov. *P. 2. Const. 12. def. 20.* Tutori aut curatori pupillorum sive minorum, si jus remittatur, & ab illo nomine pupilli aut minoris acceptetur, quin jus videatur remissum, nulli dubitamus. Hi enim pupillorum & minorum nomine aliquid accipientes, illis accepti possessionem, & per eam dominium acquirunt. *l. 13. §. 1. l. 20. §. ult. ff. de A. R. D.* Sand. *cit. loc. n. 2.* simulq; in illorum utilitatem pacisci possunt. *l. 15. ff. de pact.* Bachov. *ad tit. de pact. cap. de pacto administrator. n. 4.* Pupillis verò quousque sine autoritate tutorum remitti potest, de eo *vid. supra th. 4. n. 5.* Prodigii, stipulando sibi acquirunt. *l. 6. ff. de V. O.* itemq; minores validè sine curatorum consensu alios sibi obligant, & sic per consequens jurium remissiones ipsis fieri possunt. Excell. Dn. Struv. *in Syntagm. Jur. Civ. exerc. 6. th. 40.* Foeminis quoque non adhibitis curatoribus jus remitti potest, cum hi illarum negotia non administrant, sed tantum contrahentibus & litigantibus, consilio & autoritate assistunt. Carpz. *P. 2. Const. 15. def. ult.* Besold. *in thesaur. pract. voce Kriegische Vormund oder Kriegs- Voigt.* Administratores civitatum dum illi de jure transigunt, quod indubitatè debetur, ipsis civitatibus remissum videtur *l. 12 C. de transact.* Bachov. *cit. cap. n. 3.* Idem afferendum de Universitatum, collegiorum & societatum magistris ac præpositis. Bachov. *dict. loc. n. 2.* Paul. de Castro *ad L. Rescriptum. §. plerumq; solemnus ff. de pact. n. 7.* Servo, si debitum remittatur, quo dominus ipsius alteri est obstructus, nullum est dubium, quin illud huic sit remissum. *arg. §. 3. f. per quas pers. cuiq; acq. l. 17. §. ult. ff. de pact.*

VII.

In rebus quæ remittuntur, requiritur (1) ut existant in commercio privatorum! quales sunt res corporales & incorporales, ut nomina, actiones & servitutes *arg. l. 2. l. 18, C. de donat. l. 6. l. 14.*

B

ut



§. 1. ff. de servit. nec interest, utrum sint certæ, an incertæ, dubiæ
 five litigiolæ. l. 32. C. de transact. mobiles an immobiles; magni
 an parvi pretii arg. l. 2. §. 1. ff. de pact. junct. l. 8. ff. de publ. in rem
 act. Verùm si actionis personalis quingentos solidos excedentis
 fiat remissio, actis publicis est insinuanda, aliàs id quod summam
 quingentorum solidorum excedit, non intelligitur valide remis-
 sum; quod ideo affirmari posse videtur, cum ejusmodi remissio,
 quoad effectum, nihil aliud sit, quam donatio l. 3. §. 10 l. 2 l. §. 1. ff.
 de donat. inter vir. & uxor. Anton. de Gammadecis. Lusitan. 118.
 modo ex mera liberalitate oriatur. Carpzov. lib. 5. Resp. 64. n. 16.
 & P. 2. Const. 12. def. 16. Quod si instrumentum obligationis red-
 datur, id cenletur remissum, cujus gratia præcipue est confe-
 ctum, cujusq; probatio in illo instrumento continetur arg. l. 59. ff.
 de leg. 3. De alimentis futuris, ultimã voluntate relictis, licet si-
 ne prætoris cognitione & decreto transigi non possit l. 8. pr. &
 §. seqq. ff. de transact. l. 8. C. eod. Vinn. tr. de transact. c. 5. Bachov.
 de transact. c. 2. n. 6. tamen hæc gratis remitti & rupidiari possunt.
 Vinn. dict. tr. c. 6. in fin. Bachov. cit. c. 2. n. 2. (2) Ut possit alienari, &
 remittenti ab eo cui remittitur debeatur arg. l. 9. §. 3. ff. de donat.
 Porro facta remitti posse constat, dumodo sint propria, non alie-
 na, promissa non præstita §. 3. ff. de inut. stipul. Quod delicta at-
 tinet, siue sint privata siue publica, læsæ partis remissio locum ha-
 bet quoad interesse privatum; l. 17. §. 1. ff. de pact. ipsa vero abo-
 litio criminum à principe tantum fieri potest.

HIX.

Haftenus de personis & rebus: sequitur modus, qui fit vel per
 promissionem, vel actualiter perficitur; prius fit per pactum nu-
 dum, non nudum & contractum. Remissio quæ fit per pactum
 nudum, celebratur si conventioni nulla adsit causa reciproca,
 sed solum ex mera liberalitate proveniat. l. 7. §. 4 ff. de pact. l. 1. ff. de
 transact. E contrario, si causa reciproca remissioni annectatur,
 quod fit per modum contractus, idq; vel nominati vel innomina-
 ti, veri vel quasi, pacti legitimi, vel adjecti in continenti, idq; vel
 circa substantialia, vel naturalia vel accidentalia, quæ posteriora
 in remissione tantum sunt minuenda, non verò augentia, sem-
 perq; obligationi aliquid detrahunt l. 27. §. 2. vers. quod si non. qua-
 le est, quod venditor non debeat præstare evictionem, latam
 vel



vel levem culpam, sed saltem dolum l. II. §. 18. ff. de act. emt. & wend. l. 17. ff. commodat. Excell. Dn. Struv. in Syntagm. Jur. Civ. exerc. 6. th. 25. & seq. Verum de hisce in parte secunda suo loco uberius agetur.

IX.

Posterius quatenus scil. remissiones perficiuntur, fit mediante traditione & acceptatione. Traditio autem est vel vera vel ficta: illa dicitur quando (1) creditor debitori res mobiles apud se exstantes reddit ac restituit (2) rerum imobiliarum vacuum possessionem debitori iterum concedit v. g. redditione clavium, vel etiam annullatione constituti possessorii (3) in incorporalibus fit patientia, ac concedendo illius plenum usum v. g. si dominus prædii dominantis patiatur dominum prædii servientis re sua liberè uti l. ult. ff. de servit. Ficta est ubi (1) creditor debitori donat rem, quam jam tenet, vel ipsum jubet permanere in possessione rei debitæ arg. §. 43. ff. de R. D. (2) ubi merces debita pro inhabitatione ædium gratis remittitur (3) ubi per pactum liberatorium sive de non petendo debito, creditor debitori chirographum reddit, vel in præsentia testium mediante instrumento coram Notario & testibus confecto fatetur se debitori debitum remittere velle arg. l. 9. pr. ff. de donat (4) remissio debiti pro ficta traditione habetur, quòd si chirographus super illud sit confectus, per illius extraditionem realem, ut & reliquorum documentorum ad actionem necessariorum, perficitur. (5) quando creditor per acceptationem ad interrogationem debitoris, num debitum acceptum habeat, responsione sua ei rem remittit §. 1. ff. de M. toll. obl. l. 1. ff. de acceptil.

X.

Acceptationem quoq; necessariam esse adeò verum est, ut illa omitti non possit, sive remissio fiat præsentis, sive etiam absentis per nuncium, aut epistolam instrumentum obligationis mittatur arg. l. 2. pr. & §. 1. ff. de pact. l. 10. ff. de donat. Quod posterius si accidat, & creditor, qui per nuncium cautionem debitori remittit, antequàm à debitore acceptata fuerit remissio, pœnitentiã ductus eam revocaverit, ipso jure irrita illa redditur arg. l. 4. pr. ff. manumiss. vindict. Est enim debitori ante acceptationem nullum jus quæsitum, sed creditori remittenti liberum pœnitere &



voluntatem suam mutare *arg. l. 5. C. de obl. & act. l. 11. ff. de R. J.*
 Si verò ipse debitor cui cautio per nuncium mittitur, ante acceptationem moriatur heredes illius remissionem acceptare, ac eo ipso ad implere nequeunt. Anton. Faber. *in Cod. lib. 8. tit. 36. def. fin.* Ad acceptationem verò verba solennia non requiruntur, sed sufficit, si modo os aperiatur, vel cum gratiarum actione acceptetur. Verba siquidem in auram sparsa sunt & manent verba nemine ea acceptante, & fulmina ex pelvi nullam operationem habentia *arg. l. 10. ff. de donat.* Menoch. *conf. 380. n. 27.* Curt. Sen. *in consil. 7. n. 1.* nisi emissa sint ad Ecclesiæ, piarum causarum, reipublicæ, vel universitatis conservationem, ac ampliationem reddituum; quod specialem habet rationem & incidit in materiam votorum & pollicitationum ubi solius offerentis consensus firmiter obligat, de quibus *vid. l. 1. & tot. tit. ff. de pollicit.* Vinn. *de pact. c. 1. n. 10.*

X. I

Hæ remissiones quæ mediante traditione & acceptatione perficiuntur, fiunt in, vel extra locum iudicii; judiciales verò extrajudicialibus sunt tutiores, quandoq; summè necessariæ, præprimis si obligatio in iudicio sit nata vel confirmata. Eo enim modo quo quid collectum est, eo etiam dissolvi debet *l. 35. ff. de R. J.* Quod illas attinet, quæ extrajudicium fiunt multum ad probationem confert, si in præsentia testium sint factæ. Sæpe etiam ad earum confirmationem juramentum præltatur. Et licet juramentum ipso jure invalidas conventiones non firmet, ne fiat vinculum iniquitatis *cap. 1. de jurejur. in 6to.* actus tamen alias validos magis confirmat, illisq; robur addit; hinc etiam remissionibus sæpe adjicitur, ut eò magis adstringatur remittens ob metum pœnitendi. Porro nihil refert, utrum fiant die vel nocte, inter prandendum, cœnandum imò & pocula, modo personæ remittentes non nimis sint inebriatæ. Diebus quoq; festis solennibus, minus solennibus & incidentibus, tempore nundinarum, vindemiarum, messium, hostilis incurfionis, incendii, ruinæ, naufragii, tumultus, obsidionis, rebellionis, belli vel pacis, terræ marique, locis sacris, sanctis, religiosis, publicis ac privatis fieri possunt.

XII. Et



XII.

Et cum quisque fit rerum suarum moderator & arbiter *l. 21. C. mand.* non solum in jure acquirendo, sed etiam in jure quaesito amittendo; hinc qui Jus suum in vel extra judicium remittit, modum & conditiones illi cui remittit praescribere potest, ita ut non totum, sed saltem partem; non debitum principale, sed tantum illius accessoria; non pure, sed conditionate remittat; Pura vero est cui nec dies, nec conditio adjicitur; conditionata vero iterum est duplex, & fit aut sub conditione suspensiva, qua alicui res remittitur, ita ut remissio prius non subsistat, vel alteri jus faciat, priusquam eveniat, cum ea nihil ponat inesse *l. 8. ff. si quis omis. caus. test. ab intest.* sed evanescat non purificata conditione, sub qua facta est *arg. l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 14. ff. de novat.* Tiraquell. *de retract. proxim. §. 1. gloss. 2. num. 22.* Aut fit sub conditione resolutive (quae tamen proprie conditio non est *l. 1. ff. de donat.*) qua res alicui remittitur, ita ut statim quidem res fiat accipientis, sed si factum adjectum postea accidat, vel non, quod tunc iterum resolvatur *arg. l. 1. §. 1. ff. de donat.* pendente autem conditione suspensiva, remissio non potest revocari a remittente, sed huic expectandum est donec appareat, utrum conditio exstitura sit, nec ne. Sunt vero haec, conditiones vel possibiles vel impossibiles natura §. 10. 23. *J. de inutil. stipul. l. 7. ff. de V. O. l. 3 §. pr. eod.* vel lege seu facto, quae quidem in se sunt possibiles, fiunt tamen impossibiles vel ob conditionem personae, vel temporis. Sic ire Altdorffio Noribergam possibile quidem est, sed pedibus destituito vel intra horam impossibile. Licet vero sub his conditionibus neque stipulatio *l. 1. §. 11. ff. de O. & A.* nec ullus contractus valide iniri possit. *l. 31. d. t.* nihilominus remissiones sub illis conditionibus fieri possunt, ut alter ab iis implendis liberetur. Remissioni interdum adjicitur tempus, tanquam terminus ad quem, idque vel est certum, & statim remissio valet *l. 213. ff. de V. S.* vel incertum, & non aliter valet, quam si dies existat. *l. 21. ff. quando dies leg. ced.* quia is pro conditione est. *l. 1. §. 2. l. 75. ff. de condit. & demonstr.*

XIII.

Jam ad effectum, qui otiosus esse non debet. Est vero is in hac nostra materia duplex; alius a parte remittentis, alius a parte



ejus in cuius favorem fit remissio. Quod remittentem attinet, is jure semel remisso eo amplius uti non potest, sed illud perdit, ac per id firmat jura alterius *l. 14. §. 9. ff. de adl. edict. l. 1. §. 6. ff. de success. edict. l. 63. ff. de evict. l. 2. ff. ad Sc. Turpill. Berlich. P. 2. cons. 22. n. 68. Finckelth. observ. 44. n. 7. quia censetur donasse Carpz. P. 4. Const. 19. def. 20 n. 6. Scheffer P. 1. quest. 41. n. 3. quare remissioni plus tribuendum, quam sententiæ Vultej. *lib. 1. cons. 17. n. 84.* cum hæc feratur in invitum & reluctantem. *l. 83. §. 1. ff. de V. O.* illa verò præsupponat animum & consensum remittentis eapropter contra proprium factum nemo venire debet *l. 5. C. de serv. pign. dato manum. l. 4. C. de revocand. his qua in fraud. credit.* Vultej. *2. cons. 29. num. 76. ubi num. 131.* hoc in thesita verum esse ait, si factum omni sui parte sit absolutum, ut in eo nihil à jure requisitum desiderari possit. Verùm cum multa obviam veniant, ex quibus justa contraveniendi causa apparere possit, ut si enormissimè remittens læsus esset, causa tanti momenti erit, ut ipsi contra læsionem factam ne quidem obstet specialis renunciatio.*

XIV.

Ipsa verò remissio, cum sit stricti juris, in eam non veniunt, nisi nominatim sint expressa, nec ad ea de quibus non est cogitatum, extendenda, etiamsi remissio sit generalis, *arg. c. 13. X. de renunc. Wesenbec. cons. 537. n. 4. Grœnweg. lib. 12 ff. tit. 6. l. ult. §. 3.* nec facile præsumitur, nisi verba necessario id importent *l. 21. ff. de S. P. U. l. 27. §. 4. vers. ante omnia. l. 47. §. 1. ff. de pact. præsertim illius obligationis, quæ ex causa tum existente postea supervenit. l. 54. §. 1. ff. locat. Dec. cons. 27. §. 260. n. 4.* Omnis enim remissio in dubio interpretanda contra eum, qui se in ea fundat. *arg. l. 39. ff. de pact. Richt. p. 4. cons. 32. n. 19. Hartman. Pift. obs. 49. n. 12.*

XV.

Quoad eum cui remissio facta, operatur liberationem, idq; vel totalem vel partialem, quod ex modo, secundum quem inita est dijudicandum. Quin imò si nudo pacto sit inita, adversus remittentem & postea remissionem retractantem ac pristinam actionem instituere volentem, datur exceptio pacti vel doli

arg.



arg. l. 19. §. 1. ff. de pact. Imò Jure Canonico datur condictio ex Canone dicta *c. 1. & 3. X. de pact.* ut & moribus, condictio quæ ex moribus vocatur. Si autem contractu vel pacto convento, datur actio ex principali negotio, vel etiam condictio ex *leg. un. ff. de condict. ex leg.* ad observantiam & satisfactionem remissionis certo modo determinata. *c. accessorium de R. J. in 6to. Arum. Disp. ad ff. 3. th. 10.*

XVI.

Vidimus hætenus quemadmodum consensu remissiones inveniuntur, ita quoque hîc addendum puto ea, quæ consensui obstant, cum remissiones debeant fieri liberrimè, nullatenus coactè *c. 2. de pact. in 6to.* Constat verò liberæ voluntati nihil tam contrarium esse, quàm vim & metum *l. 116. pr. ff. de R. J.* igitur remissio vi metuvè extorta, ipso jure quidem subsistit, sed exceptio ipsi opponi potest *l. 9. in init. C. de contr. & comm. stip.* Prætorque id, quod metus causa contractum estratum non habet, sed mediante restitutione deceptum in integrum restituit *l. 1. ff. quod met. caus.* Quod si ejusmodi remissio juramento sit corroborata illud juramentum quidem obligat, sed absolutio ab eo peti potest Hartm. Pist. *lib. 4. qv. 6. n. 68. lit. ff. Bald. in l. 2. C. de jurejur.* Lud. de Molin. *de primogen. lib. 2. c. 3. n. 13.* Metum verò reverentialem sufficientem esse, non existimo, maxime si remissio sit jurata *c. 23. X. de jurej. & ibi Canonista*, nisi minæ vel verbera concurrant, vel ex metu reverentialem enormissima oriatur læsio, nam & tunc remissio vitatur & metus ac dolus præsumitur *l. 17. §. 1. ff. qua in fraud. cred. Crav. Conf. 11. n. 10. Menoch. præsumt. 124. n. 7. 14.* Porro cum error intellectui glaucoma objiciat, remissio per illum facta non subsistit. *l. 15. ff. de jurisd.* Si enim de alia obligatione vel actione senserit remittens, de alia is cui remittitur, obligatio vel actio nulla tollitur *arg. l. 137. §. 1. l. 83. §. 1. ff. de V. O. §. 22. J. de inutil. stipul.* quia remittentes in eadem re non conveniunt, quod fieri debebat. *arg. l. 1. §. 2. ff. de pact.* Similiter cum remissio sit strictæ interpretationis, remittens ad id dolo inductus quidem obligatus est, sed re integra competit ipsi exceptio doli adversus illum cui obligatio remissa *arg. l. 36. ff. de V. O. l. 5. C. de inutil. stipul.* re verò non integra alia si defint remedia actio de dolo datur. Vinn. *lib. 1. sel. quæst. c. 11. in fin. Donell. in l. 36. de V. O.*

XVII.



PARS SECUNDA.

I.

Absoluto tractatu generali, veniamus ad specialem, præcipuos remissionis casus consideraturi. Est verò omne jus quo utimur vel PUBLICUM, ad statum hodie cujuslibet Reipubl. spectans, & consistit præcipuè, in Sacris Sacerdotibus, Magistratibus *l. 1. §. 2. ff. de Just. & Jur. jure collectandi, belli & pacis, vitæ & necis, ac jurisdictione.* Verùm cum nostri instituti non sit hæc pertractare, ideo progredior ad jus PRIVATUM, quod circa causas ac negotia privatorum occupatur & pertinet vel ad Personas, vel ad Res, vel ad Actiones. Prius igitur personas quoad propositam nostram REMISSIONIS materiam videamus.

II.

Persona hîc significat hominem in societate Civili viventem, quæ consideranda venit secundum statum & conditionem sibi attributam, vel ab ipsa natura, vel à lege. Quod statum naturalem attinet, homines distinguuntur in masculos, fœminas & hermaphroditos seu androgynos. *l. 9. 10. ff. de stat. hom.* qui sunt vel nati vel nascituri *l. 6. l. 27. eod.* legitimi vel illegitimi; nati præter, contra, vel secundum formam humani generis *l. 19. l. 24. eod.* Juxta statum & conditionem civilem, sunt vel sui vel alieni juris *§. 1. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* hi sunt, vel in potestate dominica vel patria. Prior inter Christianos non obtinet, nisi quatenus in bellis contra Turcas adhuc forsan observetur, vid. Hahn. *in tit. de captiv. & postlim. revers. n. 3. in fin.* inter se ipsos verò locum adhuc habet detentio, permutatio, redemptio, quâ capti pro certo pretio ab hoste dimittuntur *l. 20. ff. solut. matrimon.* Ipse verò redemptus, pretium sui causa solutum restituere tenetur *l. 12. §. 7. & 17. ff. de capt. & postl. revers.* nisi redemptor hoc fecerit animo donandi, aut qualicunque judicio remiserit *l. 2. 17. C. eod.* alias redemptor redemptum jure quasi pignoris retinet, donec pretium solvat *l. 2. §. 12. ff. d. t.* Ubi verò dominica potestas & inde fluens servitus viget, tollitur illa rursus manumissione, quâ dominus servo ptiistinam libertatem restituendo omnia sua
jura

jura remittit. §. 1. *J. de libertin.* Eadem fere est ratio hominum priorum, præsertim in Westphalia, Nova Marchia Brandenburgensi, Lusatia & præsertim in Septentrionalibus provinciis, Pomerania, Ducatu Megapolitano, Holfatia, ubi ad servorum conditionem quàm proximè accedit Husan. *de Homin. propr. cap. 2. n. 26.* in Palatinatu, Hasfia, Ducatu Württembergico aliisque Superioris Germaniæ provinciis, melioris sunt conditionis. *Besold. in Thesaur. Pract. voc. Leibeigne.* Horum autem manumissio fit vel ultima voluntate, vel inter vivos, vel gratis, vel accepto pretio.

III.

Patria potestas tribus constituitur modis, idque vel natura, ut (1.) Nuptiis, vel jure eoque aut adjuvante naturam sc. (2.) legitimatione, aut imitante, nempe (3.) adoptione. Nuptiis præcedere solent sponsalia, quæ sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum *l. 1. ff. de sponsal.* De Jure verò Canon. Sponsalia dividuntur in sponsalia de præsentis & de futuro. Utraque consensu contrahuntur *l. 11. 12. ff. de spons.* de futuro autem, unius etiam dissensu possunt dissolvi *c. 2. & fin. X. de spons.* etiamsi fuerint jurata, quia hominibus fidem sibi invicem juramento datam remittere licet *d. c. 2.* Sponsalia autem de præsentis, quamvis Jure Civ. facile unius consensu solvantur *l. 1. 2. 3. C. de sponsal.* difficilius tamen de Jur. Can. *cap. 10. 22. X. de sponsal.* & de praxi hodierna *Carpz. Consist. lib. 2. def. 173.* Contrahuntur sponsalia vel purè, vel adjecto die, qui est expectandus *arg. l. 2. 13. ff. de V. S.* Vel sub conditione, idque possibili & ante ejus implementum nemo potest cogi ad matrimonium consummandum, pendente tamen conditione ab iis non licet recedere *Brunnem. Jus sacr. lib. 2. c. 16. §. 15.* Purificantur quoque remissione ejus, cujus gratia conditio adjecta *l. pen. C. de pact.* sive expressè sit facta *c. 3. X. de condit. appof. sponsal.* sive tacita præsumatur, v. g. si quis cum virgine celebret sponsalia sub conditione, quòd eam velit in uxorem ducere, si loco dotis ipsi posset afferre 1000. *Reichsth.* postea nimio amore abreptus non expectet implementum istius conditionis, sed prius cum ea concumbat; hoc casu Jus Can. præsumit, sponsum per copulam carnalem suæ sponsæ conditionem adjectam remisisse, adeoq; eam invitatus ducere cogendus est *c. 3. & 6. X. de condit. appof.*

Porro

Porro sponsalia sunt vel publica vel clandestina, priora vel posteriora. Quod si bina sponsalia de praesenti publice celebrata, priora praefertur, licet posterioribus accesserit copula carnalis, modo primus sponsus vel sponsa, sponsae vel sponso hoc remittere sive condonare & talem admittere velit. *c. 1. 3. ult. X. de sponsa duor.* Carpz. *Consist. lib. 2. def. 63. & 65. it. def. 195. & seqq.* Sin per benedictionem sacerdotalem sponsalia sint consummata, nec stricto jure subsistunt Berlich. *P. 4. concl. 28. n. 67.* Carpz. *Crim. P. 2. quest. 67. n. 58.* ex æquitate tamen contrarium receptum, quia videntur esse conjuncta cum quasi aliquo religioso divini numinis cultu Carpz. *d. lib. 2. def. 66.*

IV.

Nuptiæ ipsæ sive matrimonium describuntur, quod sint viri & mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens §. 1. *J. de patr. potest.* Nuptiarum accessorium est dos & donatio propter nuptias: dos promittitur vel ultima voluntate, vel per actum inter vivos *l. 20. 21. & seqq. ff. de jure dot.* constituitur traditione, imò etiam acceptilatione, si nempe uxor marito, quod sibi debebat remittit; *l. 41. §. 2. l. 43. l. 77. ff. d. t.* acquiritur verò acceptatione. Rei dotalis ita constitutæ & acquisitæ, maritus aut factus est plenus dominus, & periculum ad eum spectat *l. 42. 10. ff. d. t.* aut non est plenus dominus, & tenetur ad dolum & levem culpam in concreto *l. 5. §. 2. ff. commodat.* qui dolum, favore dotis pacto non potest remitti *l. 6. ff. de pact. dotal.* Ad effectum matrimonii quoq; refertur, quod bona industriâ ac labore uxoris constante matrimonio quæsitæ, solius mariti lucro cedant *l. 51. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Carpz. *P. 3. Const. 25. def. 8.* in tantum, ut defuncto eo, heredes ipsius a vidua id lucrum petere valeant *arg. l. 14. l. 66. ff. de condict. indeb. l. 206. ff. de R. J.* Carpz. *d. C. def. 6. in fin.* nisi maritus ipsemet adhuc vivus acquisita hæc bona, uxori expresse donaverit, vel sciens eadem exigere negligendo, remiserit. Carpz. *cit. C. def. 12.*

V.

Dissolvitur matrimonium morte, malitiosa desertione, adulterio, nisi læsus lædenti hoc remittat, expresse, vel tacite, si post compertum adulterium conjugalem consuetudinem denuo habeat. Sand. *dec. Frisic. lib. 2. tit. 6. def. 2.* vel innocens pro nocente



centē intercedat, & tum non tantum pœna ordinaria, sed etiam fustigatio in honorem matrimonii remittitur, & in relegationem mutatur *Nov. 134. cap. 10. arg. c. 7. & 8. caus. 32. q. 1.*

VI.

Effectus patriæ potestatis ita constitutæ cernitur vel circa personam, quâ filius patri est subjectus *l. 3. & 4. C. de patr. potest.* vel circa bona. Quicquid enim filius acquirit ex re patris, id patri acquirit; hinc peculium profectitium tam quoad proprietatem, quàm quoad usum fructum patris est, & quicquid inde provenit, patri acquiritur *§. 1. f. per quas person.* Si verò pater filium emancipet, nec id ei adimat, filio id donasse ac omne jus, quo ipsum ratione hujus peculii obstrictum habebat, ei remisisse censetur *l. 31. §. 2. ff. de donat.* Quod verò filio aliunde nec respectu patris & extra militiam obvenit, in eo regulariter pater usum fructum habet, nisi illum filio remittat, & sua voluntate consentiat, ut filius percipiat fructus illorum bonorum adventitiorum *l. 6. §. 2. & sicutem res C. de bon. qualibet. Ant. Gomez. ad leges Tauri. text. 48. n. 9.* Quòd si autem expressè usum fructum non remittat filio, sed videat, permittat & consentiat, ut filius percipiat fructus bonorum adventitiorum non videtur patrem totum usum fructum in perpetuum remisisse, sed tantum fructus, quos ipse filius percepit vidente & consentiente patre *Anton. Gomez. cit. text. n. 10.* Solvitur patria potestas iterum morte, tum patris, tum filii, maxima, media & minima capitis diminutione, singulari dignitate, ut & emancipatione, quâ liberi ex potestate patria dimittuntur, ac ipsis omnia jura, quibus parentes eos habent obstrictos remittuntur.

VII.

Tantum de personis alieno juri subjectis, transeo cum Imperatore juxta *pr. f. de tutel* ad personas, quæ sunt sui juris; Hæ autem sunt vel in tutela, vel in cura, vel neutro jure tenentur *d. pr.* Tutela est vel testamentaria, vel legitima, vel dativa, si nec ex testamento, vel ex lege tutor est, datur à Magistratu *pr. f. de Attil. tut.* Quòd si autem pupilli proximus cognatus onus tutelæ subire nolit, remotioresque cognati consentiant & tutelam suscipiant, ipsi jus tutelæ suscipiendæ remittitur. Officium vero petendi tutores, incumbit quibusdam personis necessario & ratione officii,



uti est (1) mater *l. 2. §. 1. ff. qui petant tut.* quando ipsa abstinet à tutela legitima, vel ad secundas nuptias transit (2) avia; illa liberis justis & naturalibus *l. ult. C. eod.* hæc nepotibus impuberi intra annum tutores petere debet. §. 6. *J. de Scto Tertyll. ibiq. Vinn. l. 10. C. de legit. hered. Carpz. P. 2. Const. 11. def. 15.* eosq; legitimos & idoneos, nisi tam mater, modò xxv. annis major, nam alias restituitur in integrum, cum ei jus ignorare licet *l. 2. C. si advers. delict.* quàm avia, successione legitima liberorum se privare velint. *l. 2. §. 1. ff. qui petant. tut. vel cur.* quòd si tamen intra annum scientiæ impuberes moriantur, vel demum puberes facti, cum ipsi testari possent, videntur matri & avia injuriam remisisse, inde utraque à liberorum hereditate non excluditur *l. 2. §. 43. ff. ad Scto. Tertyll. l. 8. §. 1. ff. de jure codicill.* Idem obtinet in cognatis successione sperantibus *l. 10. C. de legit. hered.* Qui voluntariè tutores petunt, illi licet petere omiserint, nullam sentiunt poenam *l. 2. in pr. ff. qui pet. tut. vel cur.*

VIII.

Delatam tutelam aut curam sequitur ejus administratio, quam suscipere quis simulac se datum esse cognovit, debet, *l. 4. C. de suspect. tutor.* In qua susceptione administrationis requiritur juxta *O. P. de Anno 1577. tit. 32.* (1) Decretum Magistratus (2) confectio inventarii *d. O. P. tit. 32.* Von den Pupillen §. 3. daß er/ nisi testator inventarium fieri vetuerit *l. fin. §. 1. C. arbit. tut.* quo casu tamen tutor privatim bonâ fide res pupilli consignare debet. *Perez. in C. tit. eod. n. 3. Carpz. P. 2. C. 11. def. 4.* neque etiam ista prohibitione, omnino remissa intelligitur redditio rationum *l. 1. §. 3. ff. de tut. & ration. distrab. Covarr. 2. var. res. 14. num. 4.* (3) Juramenti præstatio *R. I. de Anno 1548. d. O. P. tit. 32. §. item, daß er/* (4) satisfactio de qua *vid. tot. tit. ff. Rem. pupill. vel adolesc. salv. fore.* His concurrentibus ac præstitis, tutoris officium præcipuè versatur circa personam pupilli *l. 14. ff. de testam. tut. l. 30. ff. de admin. & peric. tut.* & per consequentiam circa bona administranda *l. 12. §. 3. ff. eod.* Tutor enim instar Domini omnia absque pupillo administrare *l. 27. eod.* non vero deminuendi causa cum debitoribus pupilli transigere, multo minus debitum gratis remittere potest *l. 46. §. 7. ff. de admin. & per. tut.* administrare enim, non spoliare pupillum debet *l. 7. §. 3. ff. pro emt.*

IX. Tu-



IX.

Tutores & curatores, qui non ex fide, aut nimis negligenter tutelam curamve administrant, aut etiam gestionem omittunt, tanquam suspecti ab officio remouentur; qui, si sunt extranei, ob dolum fiunt infames, ob latam verò culpam non item *l. 3. §. ult. l. 4. pr. ff. de susp. tut. l. ult. C. eod.* Quod si vinculo necessitudinis vel affinitatis pupillo conjuncti sint, & à tutela removendi videantur, optimum factum est, curatorem iis adjungi, quàm eos cum notata fide & existimatione removere *l. 9. ff. eod.* vel si removendi, eorum famæ parcendum, ac eo ipso, si nulla causa remotionis decreto est inserta, injuria videtur remissa. Præterea si quis cum adoleverit, tutori vel curatori testamento rationum redditionem remisisset, non videtur simul esse remissum, quod sibi propter dolum vel latam culpam abest, nec quod ex ipsius rebus adhuc apud tutorem vel curatorem existit *l. 20. §. 1. l. 28. §. 4. ff. de liberat. legat.* Sic quoque in actibus inter vivos, si in liberationibus tutorum ponitur, remitto tibi quicquid gessisti, vel gerere debuisti, culpa dolusve minime remissi sunt intelligendi; secus si dictum sit: Remitto quicquid possum per actionem tutelæ. Spieg. *in tract. de Remissione per tot.*

X.

Hucusque de REMISSIONE JURIS PRIVATORUM, quæ in jure personarum sese ostendit, jam progrediendum ad Jus RE-
RUM five ad jus circa res: hoc autem est duplex Jus IN RE & AD
RE *l. 30. ff. de noxal. action. l. 2. ff. de pollicitat. l. 19. pr. ff. de damn. infect. cap. 17. & 40. de prebend. in 6to Molin. de iust. & Jur. disp. 2.* Illius communiter quinque numerantur species: Domi-
nium, servitus, Jus Hæreditarium, Pignus & Possessio. De una
quavis specie videbo, an dicta REMISSIO circa eam locum inve-
niat. Quandoquidem verò constat, modos acquirendi dominium
esse vel naturales seu juris gentium, vel civiles. Prioris gene-
ris sunt occupatio, accessio, traditio, jactus missilium & occupa-
tio rerum pro derelictis habitarum. Circa dominium talis casus
existere potest, si in emtione venditione rei dominium venditor
sibi reservet, donec pretium solutum; non dubito, quin per con-
trariam pactionem venditor emtoris fidem sequens hoc reser-
vatum dominium remittere queat. §. 41. *J. de R. D.* Posterioris
generis sunt vel universales vel singulares.



XI.

Singularium primus modus est usucapio. Cum enim Reip. interfit, ne dominia rerum sint incerta *pr. ff. de usucap. l. 1. ff. de usurp. & usucap.* confusiones evitentur, litibus finis imponatur *l. 5. pr. ff. pro suo.* noviter in possessione constituti in perpetuo quasi meturem avocatum iri non derelinquantur, & Domini negligentes, rerum suarum amissione quasi puniantur; nam videntur eas pro derelicto habuisse & possessori omne jus quod in illas sibi competeat remisisse *arg. l. 16. ff. ex quib. caus. maj.* Ideo usucapio & præscriptio in Republica Romana sunt receptæ. Simili ratione in jure feudali, si dominus feudi tacente & non contradicente Vasallo, per 30. annos rem feudalem jure pleni dominii possederit utile Dominium contra Vasallum, feudum possidentem præscribit, ac Vasallus Domino omnia sua jura remisisse censetur. *Dn. Struv. in Syntagm. Jur. feud. c. 15. th. 3. n. 4. conf. quoque n. 5. ubi docet, quando dominium directum sibi præscribit vasallus, quod tunc dominus omne jus suum Vasallo remisisse intelligatur.*

XII.

Secundus modus acquirendi dominium civilis singularis est donatio, quæ fit vel inter vivos, vel mortis causa; utraque donari debent res, quæ sunt in bonis ipsius donantis & commercio donatarii, non solum res corporales, sed etiam incorporales, ut nomina, actiones, servitutes *l. 9. pr. ff. de donat. l. 2. 18. C. eod. Ibiq. Perez num. 16.* & tum jus rem debitam petendi & actionem contra debitorem instituendi remittitur. Verum quærendum hic est, an remissio juris ad rem, sive quod idem est actionis personalis remissio, sit vera donatio? *Affirm. Ant. de Gama. dec. Lusitan. 118.* quod tamen de effectu tantum verum esse existimo, alioquin in substantia & definitione omnino differunt. Præterea si donatarius mortis causa adversus donatorem se ingratum præbeat, post mortem donatoris, re donata non est privandus, quia cum donator vivus donationem non revocaverit, injuriam donatario remisisse videtur. *l. 5. §. 17. ff. de his qui ut indign. aufer. l. 11. ff. de inoff. testam.*

XIII.

Dominium distinguitur in plenum, vel minus plenum; hujus species sunt (1.) Emphyteusis, quæ est jus in re immobili, à Domino ali-



nō alicui se ad certum canonem in recognitionem dominiū quot-
annis præstandum obliganti, constitutū, ita, ut illa re uti frui & li-
beram quodammodo de iis disponendi potestatem habeat *l. 1. 2. C. de jure emphyteus.* Emphytenensis autem vel de novo constitui-
tur, vel in ea succeditur. Finitur modis vel propriis, vel commu-
nibus. Hi sunt consolidatio, totalis rei Interitus. §. 3. *in fin. F. de locat cond. l. 1. C. de jur. emphyt.* culpōsa & notabilis rei deterioratio
Auth. qui rem C. de S. S. Eccles. Modi proprii sunt, si canon emphy-
teuticus non fuerit solutus, & quidem in emphyteusi ecclesiastica
intra biennium *d. Auth. qui rem.* in seculari intra triennium *l. 2. C. de jur. emphyt.* nisi Dominus hoc remittat expressè, pacto sc. tem-
pus prolongando; vel tacite, vivente emphytenta voluntatem
privandi non declarando *d. l. 2. Carpz. P. 2. C. 38. def. 9.* vel cano-
nem post caducitatem acceptando. (2.) Feudum, quod est jus in
re aliena immobili plenissimè utendā fruenda, alicui ex benevo-
lentiā Domini, sub conditione mutuæ fidelitatis & præstandorum
servitiorum constitutum, ad quæ tamen servitia præstanda vasal-
lus non est obstrictus, si hæc ipsi à Domino sint remissa. Anton.
Disp. 7. th. 7. (3.) Superficies, in qua nihil singulare occurrit.

XIV.

Tantum de prima juris in re specie, pro prædior ad secundam,
quæ est servitus, hæc est, vel realis, vel personalis. Personalis spe-
cies sunt ususfructus, usus, habitatio & operæ servorum. Usus-
fructus iterum est vel verus *pr. F. de usufr.* vel quasi ususfructus
§. 2. *F. eod.* constituitur uterq; vel lege, vel officio judicis, vel vo-
luntate Domini, aliquando etiam præscriptione *l. ult. C. de præsc. long. temp.* Jus usufructuarii consistit, tum in commodis perci-
piendis, tum in oneribus ratione rei fructuariæ ferendis. Ad
onera spectat, quod usufructuarius desiderante proprietario de-
beat cavere, ne re usufructuariā male utatur, & finito usufructu
eam restituat *l. 13. pr. ff. de usufr. l. 1. pr. ff. usufr. quemadm. cav.*
Hæc cautio cum in favorem proprietarii sit intrdoducta, ab eo
remitti potest, non autem à testatore *l. 1. 2. C. de usufr. Gail. 2. obs. 145. n. 1. & seqq. Carpz. P. 3., Const. 13. def. 12.* usufructuarius
enim pro interesse heredis proprietarii cautionem præstare, re-
rumq; in usufructu contentarum inventarium conficere tenetur
l. 7. C. ut inposs. legat. Gail. d. Obs. 145. n. 10. nam proprietario auferri
non

non debet, quod ipsum de proprietate reddit securum, nec ante cogi potest ad rem usufructuariam tradendam, quam satisdatum fuerit *l. 1. C. de usufr.* præsertim cum cautione in quasi usufructu non præstita, nullam realem actionem, sed personalem duntaxat, scil. quantitatis conditionem adversus fructuarium habet. *l. 5. §. 1. ff. de usufr. ear. rer.* quæ inutilis erit heredi proprietario, si finito usufructu debitor inops reperiatur. Similiter cum dentur casus, quibus ob damnum, in re fructuaria datum nulla alia datur actio *l. 13. §. 2. vers. deniq; consultus ff. de usufr. & quemadm. quis utat. fruatur.*

XV.

Finitur usufructus morte usufructuarii, maxima & media capitis deminutione, non utendo per modum & tempus, item cedendo ac remittendo domino omnia jura in re usufructuaria sibi competentia. §. 3. *J. de usufr.* Constituuntur & finiuntur usus & habitatio, iisdem illis modis quibus usufructus, præterquam quod habitatio non utendo & capitis diminutione non amittatur §. 1. §. *J. de usu & habitat. l. 11. C. de usufr. l. 10. pr. ff. de usu & habitat.* Operæ servorum, parum hodiè habent usus, cum inter Christianos servitus sit sublata.

XVI.

Realis servitus est vel urbana, vel rustica, quæ variis modis constituitur & acquiritur. Finitur ut plurimum consolidatione, rei interitu, facto domini cujus prædio debetur, & dicitur remissio, quæ est vel expressa *l. 14. §. 1. ff. de servit. l. 17. in fin. ff. comm. prædior.* vel tacita, concedendo id facere, quò servitus necessario impediatur *l. 8. ff. quemadm. servit. amitt.* nisi precario hoc sit concessum. *l. 8. ff. comm. prædior.* Quòd si verò duæ servitutes ab eodem prædio uni debeantur, puta itineris & actus, tunc servitute actus remissâ, non censetur quoque servitus viæ remissa, sed hæc manet salva *l. 20 ff. de S. R. P.* & licet interdum per remissionem unius, altera impediatur, tunc remissio ista effectum habere nequit, sed semper intelligitur remissio alterius servitutis ita fieri, ut altera retineatur. *l. 21. ff. de S. U. P.* De vasallo servitute debitam remittente, dicendum, quòd ejus remissio tantum ad dies vitæ & filiorum vigorem habeat; Agnatis verò, ut & domino directo etiam si longissimum tempus intercesserit, præjudicare non

non possit Rosenthal, *cap. 9. membr. 1. concl. II. n. 10.* Fit quoque remissio servitutum, cum quis per negligentiam servitute constituta planè non utatur, quam alter, si quotidiana est, inter præsentes per 10, inter absentes per 20, non quotidiana indistinctè per 20. annos præscribit. *l. 13. C. de servit. & aqua.* Tutoris, curatoris, itemque mariti remissio ac negligentia in servitutibus prædiorum amittendis, non obest pupillo, minori aut uxori *l. 10. ff. quemadm. serv. amitt. l. 5. 6. ff. de fund. dotal.*

XVII.

Relicta secunda, progredior ad tertiam JURIS IN RE speciem Hæreditatem scil. seu jus hæreditarium. Et quidem deferatur illa ordinario, vel extraordinario modo, per pacta hæreditaria seu successoria. Ordinario modo, deferatur vel ex testamento vel ab intestato. Utrumque rursus fit, vel juxta Jus Civile, vel juxta Jus Prætorium; Jure Civili fit, vel verbis directis in testamento; vel obliquis, ut in codicillis & fideicomisso universali. Testamentum conditur vel in, vel extrajudicium; posterius est, vel solenne, quod iterum est vel scriptum, vel nuncupativum; vel minus solenne, seu privilegiatum, in quo solennitates sunt remissæ. Totius autem testamenti forma, caput atque fundamentum est Hæredis institutio §. 34. *J. de legat.* quæ est vel necessaria, vel arbitraria seu libera. Quæ posterior fit vel purè vel adjecto die, aut sub conditione. Si verò testator ita scripsit, *Titius heres esto secundùm conditiones infra scriptas*, siquidem nihil est adjectum, neque aliqua conditio per oblivionem, vel omissionem inconsultam, vel quòd morte præventus in testamento nulla posita, tum ob mentionem conditionum destinatarum, testamentum non vitiat, sed conditionum pollicitatio est supervacua; videtur enim testatorem eas remisisse, quòd postea non adscripserit *l. 8. C. de institution. & substitution. l. 77. §. ult. de leg. 2.* Quòd si verò testator ita scripsisset, *heres esto secundùm conditiones infra scriptas*, & postea conditiones subjecerit, tunc ab initio conditionalis videtur fuisse institutio. *d. l. 8. vers. sin autem. Perez. in C. de institut. & substitut. n. 9.*

XIIX.

Solent quoque in testamentis & codicillis relinqui legata & fideicommissa singularia. Legantur res habiles, quæ scil. (1) sunt in rerum natura, si non actu, saltem potential. *l. 7. §. 1. ff. de tritic. leg.*

D



leg. l. 108. §. 10. l. 24. §. 1. de legat. 1; §. 7. f. de legat. (2) quæ possunt legatario acquiri l. 39. §. 8. C. 10. de legat. 1. l. 49. §. 3. de legat. 2. l. 34. ff. de V. O. & (3) quæ commodum ei afferunt §. 21. f. de legat. Et quidem non solum res singularis hæreditaria, sed etiam universalis v. g. grex, imò pars bonorum hæreditariorum v. g. tertia vel quarta hæreditatis pars l. 23. 26. §. 2. de leg. 1. junct. l. 8. §. ult. l. 9. de leg. 2. Tam res legantis propriæ, quam alienæ §. 4. f. de legat. Quoad alienam distinguendum; an sit ejus à quo alteri legatur, uti heredis seu legatarii, & legatum subsistit & res præstanda est d. §. 4. f. l. 67. §. 8. l. 70. §. 1. de leg. 2. An verò tertii, & tum valet, si testator eam rem esse alienam sciverit d. §. 4. l. 10. C. de legat. Brunnem. ad l. 71. de legat. 1. n. 10. Et legatarius id probare debet, si heres neget testatorem hoc scivisse; quia affirmanti incumbit probatio l. 2. ff. de probat. C. præsumt. In dubio enim præsumitur testatorem minus voluisse gravare heredem l. 67. §. 8. de legat. 2. l. 29. §. 1. l. 75. de legat. 3. Legatarius itaque cum se in scientia legantis fundare debeat, ideo illam probabit. §. 4. f. de legat. Mantic. de conject. ultim. volunt. Lib. 9. t. 10. n. 2. Menoch. 4. præf. 116. n. 36. Quòd si verò legatarius probaverit, heres rem ipsam, si potest, tradere debet; si verò non, æstimationem præstare tenetur l. 39. §. 1. de legat. 1. Nonnunquam legatario probatio hæc remittitur (1) si est propinquus vel consanguineus testatoris (2) si testator ex alia causa legatarium singulari amore fuerit persecutus l. 10. C. de legat. vel (3) quando legatum rei alienæ relictum est ad pias causas arg. d. l. 10.

XIX.

Præterea non solum res corporales, tam mobiles, quam immobiles, sed etiam incorporales legari possunt, ut servitutes tum personales v. ff. de usu C. usufr. C. habit. C. oper. per. legat. vel fideic. dat. tum reales v. ff. de serv. legat. actiones leganti contra alios competentes §. 21. f. de legat. l. 18. C. eod. item debita, quod vocatur legatum liberationis, quo legatario remittitur, quod debet testatori §. 13. f. d. t. Hoc legato, non solum quod debetur remitti potest, verum etiam pars ejus, vel pars obligationis l. 7. pr. ff. de liberat. legat. potest quoque heres damnari, ut vel in perpetuum, vel ad certum tempus non petat à debitore l. 8. §. 1. d. t. & tum ratione illius temporis, ne usuræ quidem debentur, quia interea nihil debetur. Fit quoque remissio debiti, vel expressè cum testa-

testator heredem jubet, ne debitum à legatario exigat. *l. 19. ff. d. 1.* vel tacite, quando testator chirographum legat suo debitori *l. 3. §. 1. ff. d. 1.*

XX.

Porro testator remittit debitum soli debitori principali, aut personis accessoriis sive fidejussoribus, aut utrisque: Si hoc, nulla superest dubitatio, quia nec principalis, nec accessoria obligatio amplius manet. Sin principali liberatio legata, tum fidejussoribus & heredibus simul prodest *l. 2. ff. d. 1. ibiq; Brun-* neman. *num. 1. l. 15. pr. junct. l. 8. §. 4. d. 1.* nisi personaliter facta, ut scil. personæ tantum proficit, cui liberatio adscripta. *l. 8. §. 3. d. 1. ibiq; Brunnem. n. 4. l. 20. pr. d. 1.* quo casu tamen, non tam liberatio, quam solutionis prorogatio legata videtur. Sin soli fidejussori liberatio adscripta, principali debitori prodesse nequit *l. 2. eod. ibiq; Brunnem. n. 2.* quia debito principali extincto, ejus quoque accessorium tollitur, at fidejussione remissa debitum principale manet. Sic in liberatione legata potest alicui relinqui (1) remissio ipsius debiti principalis, & tum simul pignora remissa (2) remissio pignoris, & tum debitum principale remanet, & debitori tantum conceditur jus rem oppignoratam recipiendi *l. 1. §. 1. l. 20. l. 28. §. 6. ff. eod.* (3) remissio debiti alternativi, & unius liberatione legata, utrumq; remissum videtur *l. 7. §. 1. ff. eod.* (4) aut debitor unam rem debet, aut plures; sin posterius, tum expressè facta omnium debitorum liberatione, nihil solvere tenetur *l. 16. 17. ff. d. 1.* & sic etiam hoc casu liberatio videtur esse legata ab actionibus realibus. Si verò liberatio generaliter legata ab obligatione, nulla expressa mentione facta actionum realium, non censentur actiones in rem sub hac liberatione contineri, sed tantum actiones in personam ejusmodi legato videntur extinctæ; & sic debitor non ut obligatus, sed ut possessor rei, in judicium vocatur. *l. 28. §. 4. eod. ibiq; Brunnem. n. 6.*

XXI.

Effectus liberationis legatæ est, ut is cui debitum est remissum, habeat (1) actionem ex testamento *l. 7. §. 7. ff. d. 1.* quâ debitor agit adversus heredem, ut ipsum per acceptilationem à debito planè liberet *l. 3. §. 3. eod.* ubi addit Bartol *n. 2. quòd etiam possit aliquando implorare officium judicis, ut silentium perpetuum imponatur heredi* (2.) exceptionem doli, quâ heredem exigentem debitum



tum repellit *d. l. 3. §. 3. (3) conditionem indebiti; si ignorans liberationem legatam, heredi debitum persolvit l. 24. in fin. d. t. l. 26. §. 7. ff. de condict. indeb.*

XXII.

Legata & fideicommissa in testamentis relicta vel agnoscuntur, vel repudiantur. Sin agnoscantur legatario aut fideicommissario tres competunt actiones (1) Est actio ex quasi contractu aditionis hereditatis §. 5. *f. de obl. qua ex quasi contr.* (2) Actio hypothecaria §. 2. *f. de legat. l. 1. C. comm. de legat. & fideic.* (3) Reivindicatio *l. 1. C. d. t. §. 2. f. d. t.* Quandoque tamen legata & fideicommissa non statim præstantur (1) si dies legati nondum venit, vel (2) conditio pendet (3) vel filis oritur inter heredem & legatarium de legato aut fideicommissio *l. 14. 15. ff. ut legator. seu fideic. caus. cav.* vel inter ipsos collegatarios *l. 16. ff. eod.* & hisce casibus heredes & alii, à quibus legatum vel fideicommissum relictum est, per fidejussores cavere debent *l. 1. §. 3. & seqq. l. 15. §. fin. junct. l. 6. pr. l. 17. eod.* legatario aut fideicommissario, eorum vè procuratoribus & heredibus *d. l. 1. §. 3. 4. & 15.* & si duo de legato contendunt, utrisque *l. 16. eod.* quòd scil. velint die veniente, aut conditione existente, aut cum legatarius victoriam litis reportaverit, aut si sua culpare legata perierit, rem ipsam vel ejus æstimationem præstare *l. 1. pr. l. 8. d. t.* Quòd si verò præstationem cautionis detrectent, mittitur legatarius aut fideicommissarius in possessionem rerum hereditariarum *l. 1. §. 1. ff. ut in possess. legator. vel fideic. serv.* Interdum tamen hæc cautio cessat (1) si à testatore sit remissa *l. 12. 18. ff. ut legator. seu fideic. caus. cav.* & hoc casu, ne à dissipatore quidem exigì potest *d. l. 18.* liberum enim testatori erat planè nihil relinquere (2) remittitur fisco *l. 1. §. 18. ff. d. t.* (3) Rebus publ. sive universitatibus, repromissio tamen exigì potest, voluntati defuncti statum iri *l. 6. §. 1. eod.* (4) Non onerandus est heres cautione supervacuâ, quoties certum est nullo modo fideicommissio locum esse *l. 14. §. 1. ff. d. t.* (5) Satisfactionem petere non possunt filius vel servus à patre dominovè herede instituto *l. 7. eod.*

XXIII.

Ne testamenta ob nimia legata & fideicommissa singularia destituantur, restrictus est modus legandi per falcidiam, quâ cavetur, ne ultra dodrantem hereditatis leget testator, quod si factum.



Etum esset, heredi permittebatur tantum inde detrahere, quò hereditatis partem possit habere salvam. §. 1. *f. de leg. falcid.* Detrahunt autem hanc quartam illi, in quorum favorem hoc beneficium est introductum. Variis tamen casibus hæc detractio cessat (1) in persona testatoris, si is prohibuerit *Nov. 1. c. 2. in fin.* (2) in persona heredis, si is vel expressè, vel tacitè, ex errore sc. juris, huic beneficio renunciaverit *l. 46. ff. ad leg. falcid. l. 19. C. eod.* (3) propter qualitatem rei legatae, si sc. libertas legata *l. 33. ff. d. t.* Et in genere, quotiescunq; mihi res legatur, quæ absq; legato mihi esset præstanda, toties cessat quarta falcidia. Si vero dubitetur, utrum integris legatis præstitis, heres quartam salvam habeat, nec ne v. g. ob legata conditionalia, quorum incertus est eventus, aut ob æs alienum latens; heres non prius integra legata persolvit, quàm si legatarius datis fidejussoribus satsidet, se quod plus dodrante solutum est, esse restitutum *l. 11. pr. §. 9. ff. si cui plus quam per leg. falc. lio. ibiq; Brunnem. n. 10. l. 3. §. 1. eod. Wesenb. in h. tit.* Hæc cautio remittitur (1) si minuta alimenta legata *l. 3. §. 4. d. t.* (2) fisco, qui tamen conveniri postmodum potest, æquè ac si cavisset *d. l. 3. §. 5.* (3) pauperibus, ne propter hanc à petitione liberalitatis ex testamento submoveantur. *l. 6. d. t.* (4) executoribus testamentorum, vel iis qui legata distribuunt. *l. 7. eod.*

XXIV.

Testamentum jure perfectum usq; eò valet, donec rumpatur, irritumq; fiat *pr. f. quib. mod. test. infirm.* Ut verò hoc constet, item cui hereditas delata & quibus legata relicta, illius apertura & inspectio requiritur *t. t. ff. testam. quemadm. aper.* huic sequitur publicatio & in archivum translatio *l. 18. C. de testam.* Nullo autem testamento existente, aut si id quod factum, non iurè factum, aut ruptum irritumq; redditum sit, aut si ex eo nemo heres existat, ab intestato succeditur *pr. f. de hered. quæ ab intest. defert.* Si ergo ex testamento, vel ab intestato quis succedat, is gaudet jure deliberandi §. 5. *f. de hered. qualit. & differ. l. 22. pr. C. de jure deliber. & beneficio inventarii d. l. 22. pr. §. 1. & seqq.*

XXV.

Quòd si plures adsint heredes hereditatem adeuntes, adibunt illam, vel ex testamento, & partes in illo unicuiq; assignatæ, erunt servandæ; vel ab intestato, & tum aut in capita, aut in stirpes hereditas dividitur; vel ex pactis successoris, & juxta illa he-



reditas quoq; erit dividenda. Cæterum descendentes divisi sunt inter se hæreditatem ascendentium, ad collationem invicem tenentur; ita ut, quod unus vel alter liberorum vivis adhuc parentibus, ex bonis paternis acceperit, post mortem parentum illud conferat, vel permittat, ut sibi in hereditatis divisione detrahatur *t. t. ff. de collat. honor.* Collatio hæc exigitur à quocunque descendentium, qui legitimam petere potest Brunnem. *ad l. 9. C. de collationib. n. 5.* hinc non tantum filii, sed etiam nepotes ea, quæ illorum parentes perceperunt, sive inter se soli, sive mixtim concurrant, conferunt *l. 17. 19. C. de collation. Brunnem. ad l. 1. ff. eod. n. 5. 8. Rauchbar. P. 2. q. 18. qui tamen n. 42. hanc assertionem limitat in illo casu, ubi dos materna ad nepotes, vel non planè, vel non integra pervenit, cum tantum imputandum, quantum ad liberos transmissum: v. g. si lucrum dotis ex statuto, marito applicetur. Secus autem foret, si propterea ad nepotes non perveniat, quod eam mater consumsisset.*

XXVI.

Conferuntur quoq; omnia bona, quæ à parentibus, de quorum successione quæritur, sunt profectal. *l. 17. C. d. t. exceptis (1) castrensibus l. 1. §. 15. ff. eod. l. 4. ff. de castr. pecul. itemque feudo Schrader. de feud. P. 7. c. 6. n. 8. & seq. (2) quasi castrensibus, quo pertinent sumtus doctorales & studiorum, ut & libri l. 50. ff. famil. hercisc. arg. l. 21. §. 3. ad municip. l. 3. §. ult. de muner. & honor. & perinde est, sive fiant à patre vel matre arg. l. 11. C. de negot. gest. Carpzov. P. 2. Const. 11. def. 17. num. 3. Richter. ad Auth. habita. C. ne filius pro patr. disp. 5. pag. 81. (3) quod ex singulari pietate, nomine filii ab hostibus redempti solutum. l. 17. C. de postlim. revers. (4) quod liberis simpliciter donatum l. 20. pr. C. de collation. Vinn. tract. de collat. c. 15. n. 1. & seqq. Locum habet hæc collatio, si liberi parentibus succedant, sive ex testamento, sive ab intestato. Nov. 18. c. 6. nisi pater eam remisit, vel prohibuerit, nam liberum est parentibus uni plus relinquere, quam aliis, modo liberi non fraudentur in legitima l. 8. C. de inoff. test. nec interest, utrum remissio fiat expressè l. 1. & auth. ex testamento C. de collat. an tacitè, quando sc. ultimæ voluntatis verba ita generaliter sunt concepta, ut per se satis constet, eam esse remissam. arg. l. 39. §. 1. ff. fam. herc. Richter. ad d. Auth. disp. 5. pag. 79. Anton. Faber. ad Cod. lib. 6. tit. 4. def. 2. n. 4.*

XXVII.



XXVII.

Missa tertia juris IN RE specie, sequitur quarta sc. PIGNUS, quod in genere sumtum, etiam hypothecam comprehendit *l. 1. ff. de pign. act.* & hypotheca dicitur pignus *l. 5. §. 1. ff. de pign. & hypoth.* In specie verò pignus ab hypotheca in eo differt, quòd pignus dicatur de re, quæ ad creditorem transit, hypotheca autem de re, cujus possessio ad creditorem non transfertur, sed per solam conventionem vel legem constituitur *l. 9. §. 2. ff. d. r.* Quamvis & hæc creditori tradi. *l. 4. C. eod.* & illud debitori relinqui possit. Add. Bachov. *ad Wesenb. de pign. act. n. 1. r. de pign. & hypoth. n. 3.* Constituitur pignus, vel per conventionem partium, & voluntarium; vel per judicem & necessarium; vel per legis dispositionem & tacitum appellatur.

XXIX.

Solvitur pignus (I) interitu rei oppignoratæ, naturali vel civili, modo adsit totalis rei interitus *l. 8. in pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* non verò si pars tantum intereat, vel circa superficiem mutatio contingat. *l. 16. §. 2. ff. d. r.* (II) Voluntate creditoris, pignus contraria conventionem remittentis, vel expressè per condonationem debiti *l. 1. §. 1. ff. d. r. l. 17. §. 2. l. 3. ff. de pact.* vel tacite (1) pignoris redditione *d. l. 3.* debitum tamen principale non videtur remissum, *d. l. 3.* adeo ut licet pignus expressè quis remittat, debitum tamen principale eo ipso non videatur remissum. Pignus enim res est à debito principali separata, atque hujus quædam accessio. Hinc per redditionem & remissionem accessorii, principalis obligatio non tollitur, docente *l. 1. §. 1. ff. de liber. leg.* (2) redditione instrumenti super pignore confecti. *l. 1. 7. C. de remis. pign.* ipsum autem debitum non censetur remissum *arg. l. 3. ff. de pact.* sed tantum id, cujus gratia principaliter est confectum *arg. l. 59. ff. de leg. 3.* (3) Si creditor consentiat, ut pignus à debitore vendatur *l. 24. C. d. r.* vel si distractionem publice futuram sciens, eidem non contradicat *l. 6. 8. C. d. r.* Quòd si verò novæ pignoris obligationi tertio factæ, consensum suum accommodaverit, non totum pignoris jus perimitur, sed salvo eo, jus prioritatis, quod habebat amittitur *l. 12. §. 4. ff. qui potior. in pign.* Rauchbar *p. 1. q. 34. n. 35. Chur. Sächs. Proceß und Gerichts-Ordn. tit. 46. §.* Es trägt sich auch (4) si loco pignorum fidejussor detur *l. 5. §. 2. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* (III) Debito principali

cipali extincto, quod fit vel *ipso jure* per solutionem, aut aliam satisfactionem *l. 6. ff. d. r. l. 9. §. 3. ff. de pign. act. novationem l. 11. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. l. 18. ff. de novat.* confusionem, quando creditor fit heres debitoris, vel hic creditoris; item per oblationem solutionis ritè factæ *l. 9. C. de solut.* Vel ope exceptionis, si vel debitum, aut expressè per pactum de non petendo *l. 5. pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* aut tacitè *l. 7. C. de remis. pign.* remittatur; vel debitor iudicio conventus absolvatur *l. 13. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solv.* Solutio ergo pignore, debitori actio pignoratitia directa adversus creditorem competit. *l. 9. §. 3. ff. de pign. act.* ad pignus cum fructibus restituendum, & quod ex venditione pignoris ultra debitum consecutus est, cum usuris à tempore moræ reddendum *l. 6. §. 1. l. 42. ff. d. r.*

XXIX.

Cùm verò interdum accidat, ut creditores integrum debitum ex bonis debitoris percipere non possint, tum firmiter jus habens, præfertur jus infirmius habenti. Et quidem concurrentibus pluribus creditoribus, quibus ex bonis debitoris satisfieri debet; attendendum, qui quibus in tali concursu creditorum sint anteferendi. Præferuntur verò Creditores alii aliis, vel ex beneficio Prætoris, jure scil. separationis; vel ratione peculiaris juris IN RE, vel ex speciali prioritatis seu prælationis jure, quod fit in ipso concursu, ubi creditores concurrentes secundum specialia jura prioritatis, in quinque collocantur classes: quarum prima est simpliciter privilegiatorum; secunda hypothecam privilegiatam habentium, ad quam ultimo loco spectant hypothecam judicalem habentes; tertia continet hypothecarios simplices; in quarta inveniuntur chirographarii privilegiati; in quinta sunt chirographarii nudi & simplices, qui sine ulla prærogativa causæ, vel temporis, pro quantitate debiti, secundum proportionem Geometricam, si bona omnibus non sufficiant, admittuntur *l. 6. C. de bon. auth. judic. possid. vel vend.* Horum chirographariorum nudorum major pars, quæ non ex numero personarum, sed ex quantitate credita æstimanda, suo pacto potest nocere reliquis creditoribus, partem debiti remittendo, ut debitor ad meliorem fortunam pervenire, & eò citius reliquam debiti partem solvere possit *l. 7. §. ult. l. 8. 9. 10. pr. ff. de pact.* vid. Lauterb. Vol. 3. Disput. de Præjudiciali pacto major. part. creditor. quod tamen pactum solis chirographariis,

riis, non verò hypothecariis nocet *l. 10. pr. d. t. nisi* & hi, qui omnes uno eodemque tempore & modo hypothecam sibi acquirerunt, tale pactum præjudiciale inierint, cum & hic omnium jura sint æqualia, & nullus alteri jure sit potior, quare etiam, si major eorum pars justa ex causa partem debiti remiserit, etiam reliqui, qui non consenserunt plus exigere non possunt, sed pactum illud sequi tenentur *Lauterb. cit. Disp. th. 64. & seqq.*

XXX.

Restat quinta juris IN RE species Possessio, quæ in genere significat detentionem rei alicujus, & quidem vel nudam; vel qualificatam, seu cum animo & affectione sibi habendi conjunctam. Quæ posterior hujus loci, & vera possessio *l. 2. vers. Eo autem C. de prescript. 30. vel 40. annor.* Actiones autem seu remedia, quibus possessionem adipiscimur, retinemus aut recuperamus, INTERDICTA appellantur *rubr. ff. de interd. sive extraord. action.* Si verò possessione quis dejiciatur & remediis recuperandæ possessionis non utatur, nec protestetur, censetur possessionem remisisse. Similiter si quis sit spoliatus & consentiat, ut spoliator dominium probet, eo ipso possessionem, quam consequi poterat, remittit. *per cap. 1. Licet. X. de restitut. spoliator.* Cæterum cum circa interdicta parum aut nihil singulare inveniam, quod remissionem sentit, illis misis statim subjicio Novi operis nunciationem; quia ædificia contra nunciationem novi operis facta, dejici iterumque restitui jubentur interdicto Prætoris *l. 1. §. 7. l. 20. §. 16. ff. de nov. oper. nunc.*

XXXI.

Finitur verò nunciatio triplici modo (I) morte nunciantis *l. 8. §. 6. d. t.* non etiam nunciati *d. l. 8. §. 7.* (II) alienatione rei à nunciante facta in aliam personam *d. l. 8. §. 6.* (III) REMISSIONE, quæ fit vel (1) ipso jure, vel (2) causa cognita *Gail. 1. obs. 16. n. 18.* (3) conventionem partium *l. 1. §. 10. ff. d. t.* & (4) satisfactione *l. 5. §. 17. d. t.* ubi Prætoris remissio necessaria non est. *l. un. §. 2. in fin. ff. de remission.* *Cujac. 1. obs. 16.* & quatuor erunt species remissionis. *Vid. Frider. de mandat. lib. 2. cap. 31. n. 1.* Ipso jure fit REMISSIO *l. un. §. 2. d. t.* in casibus ubi nunciatio impunè spernitur: velut si notorium sit nunciantem jus nuntiandi non habere, vel si dilatione periculum, aut grave damnum ædificare volenti inferatur *Frider.*

E

der.



der. *de mandat. d. cap. 31. n. 2. 3. 4.* Colleg. Argent. *tit. de Remissio-
nib. n. 5.* Causa cognita fit remissio, cum dubium erat & quære-
batur, an nunciatus jus nunciandi haberet, & jam appareret illum
jus nunciandi non habere, ut si (1) nunciator in nunciationis justi-
ficatione iuramentum calumniæ præstare nolit. *l. 5. §. 14. ff. de nov.
oper. nunc.* (2) si procuratorio nomine nunciatus nolit satisfacere,
neque de rato cavere. *d. l. 5. §. 18.* (3) si nunciatus, jus prohibendi
quod præten- dit, non probet. *l. 1. pr. d. r.* quod demum per senten-
tiam iudicis declaratur. Colleg. Argent. *d. tit. n. 5.* Frider. *d. c.
n. 6.* Conventione partium remissio inicitur, si is qui antea prohibu-
erat, nunc gratis, vel pretio, vel precibus, vel aliam ob causam nun-
ciationem remittit, & opus ædificare concedit. *d. l. 1. §. 10.* Fri-
der. *cit. cap. n. 5.* Satisfactione vel cautione nunciationem remit-
ti, receptissimum & usitatissimum est, fitque ad id, ut nunciatus
suis sumptibus omne opus, quod post nunciationem factum fuerit,
destruat, si injustè se ædificasse fuerit iudicatum. *l. un. C. de nov.
oper. nunc. l. 5. §. 17. l. 20. §. 5. ff. eod.* Frider. *d. cap. n. 7.*

XXII.

Est verò iure communi in potestate ac arbitrio nunciantis,
utrum jus nunciandi statim, hoc est intra trimestre spatium doce-
re, & ædificationis iniquitatem facere manifestam velit; an verò
intra idem tempus satisfactionem acceptare. *l. un. C. de nov. oper.
nunc. cap. fin. X. eod.* Frider. *cit. loc. n. 8.* Mev. *P. 3. dec. 379. n. 5.*
Gail. *1. obs. 16. n. 17.* qui tamen *eod. num.* in verbis sequentibus
existimat, etiam non obstante litis pendentia, in Camera, elapsis
tribus mensibus, citato offerenti idoneam satisfactionem, nuncia-
tionem per sententiam remittendam esse, cum per cautionem
utrique parti consultum sit, tamque ei qui nunciavit, quam ei cui
nunciatum est. *l. 21. §. 1. l. 20. §. 1. ff. d. r.* In nonnullis locis tridu-
um; in iure Lubecensi quatuordecim dies. *Mæv. ad Jus Lubec. P.
3. tit. 12. art. 15. n. 24. & 25.* In foro Saxonico terminus sex se-
ptimanarum & trium dierum eine Sächsische Frist nuncianti ad
jus suum probandum præfigitur. Imò si dubium subsit ædifica-
re liceat nec ne, quando scilicet grave & intolerandum incommo-
dum vicino ex structura imminet, seu quòd ex opere illius ædes
ruinam patiantur, vel quòd inquieta & turbulenta nunciatus mo-
liatur, vel quòd periculum ignis & incendii subsit, tunc iudex ob-
oblatam satisfactionem nunciationem remittere non potest.
Mæv.

Mev. P. 3. dec. 380. n. 5. nonnunquam tamen nunciator intra trium mensium spatium satisfactionem accipere, & iudex nunciationis remissionem facere debet, si nunciato multum interfit continuare structuram, veluti si præcipua pars operis jam confecta, cæmenta comparata, opifices conducti, & tempus structuræ idoneum præterlabatur Frider. cit. loc. n. 8. Si verò is, qui impetrata remissione, ulterius ædificare impediatur, habet interdictum l. 20. §. 9. ff. de nov. oper. nunc. & mandatum sine clausula, de non impediendo ædificare Gail. I. obs. 16. n. 17. Frider. de mandat. lib. 2. cap. 32. n. 2.

XXXIII.

Perlustrato pro subjecta materia jure in re, pergimus ad jus AD REM, seu obligationem vulgò sic dictam. Hæc autem fuit ex facto obligatorio, vel eo deficiente ÆQUITATE l. 2. §. 5. ff. de aqua & aq. pluvi. arc. act. Factum illud obligatorium est triplex Pollicitatio, Conventio & Delictum: Conventionis species sunt pactum nudum, non nudum seu vestitum, quod est vel legitimum, vel adjectum contractui b. f. in continenti, contractus verus nominatus, innominatus & quasi contractus. Quod ergo pacta attinet, variam illa patiuntur divisionem, & quidem quoad effectum, dividuntur in OBLIGATORIA, quæ ad obligationem novam introducendam, imò etiam interdum ad veterem magis confirmandam tendunt; & LIBERATORIA quibus obligatio REMITTITUR, ea perimitur, & in totum ab ea receditur. Quæ posteriora aut liberant ab una parte, si scil. ab ea tantum vinculum obligationis remittatur, vel ab utraque & RESOLUTORIA in specie vocantur, quæ totam perimunt obligationem, & ita utramque partem omnimodo liberant l. 95. §. 4. ff. de solution. Bachov. de pact. cap. de pact. resolut. n. 1. & seq. Hinc si ita conventum, ut à contractu re scil. adhuc integra, vel in pristinum statum reducta recedatur, remissio bilateralis existit. l. 7. §. 6. ff. de pact. Mudæus de contrah. emt. cap. de resolutiv. pact. n. 2.

XXXIV.

Missis pactis, transeo ad contractus nominatos veros, qui sunt vel reales vel verbales, vel literales, vel consensuales §. 2. ff. de obligat. l. 1. & 2. ff. de O. & A. Reales sunt, MUTUUM, quod si creditor chirographum aut instrumentum authenticum sive originale reddat, censetur is debitori debitum & actionem, cujus



gratia instrumentum confectum, remisisse *l. 2. §. 2. ff. de pact.* sub appellatione enim chirographi ipsam actionem contineri patet *ex l. 59. de legat. 3.* **COMMODATUM**, quo certa species alicui gratis utenda conceditur, ita ut finito usu, eadem res haud deterior in specie restituatur. *§. 2. Inst. 2. M. R. C. O.* Si verò res deteriorata, interesse est præstandum *l. 3. §. 1. ff. commodat.* nisi commodans illam sciens simpliciter receperit, quo casu censetur damnum illud remisisse Schneidw. *ad §. 17. ff. de action.* **DEPOSITUM**, de quo si cautio confecta, & deponens depositario rem depositam simpliciter reddat, hoc quoq; casu debitum remissum, & depositario donatum, præsumitur *arg. l. 2. §. 1. ff. de pact.* Et **PIGNUS**, de quo egi *supra tit. 27. & 28.*

XXXV.

Sequitur contractus verbalis sc. stipulatio, quæ perficitur ex interrogatione, eamq; subsequuta ordinata responsione *pr. ff. de V. O. l. 1. pr. ff. eod.* Hodie autem hæ solennitates non attenduntur, sed nutu quoq; fieri potest, (licet olim non item *l. 1. §. 2. ff. d. 1. ibiq.* Godofred. *in not.*) præsertim si per hunc contractum obligationes remittantur, aut liberatio ab obligatione intendatur, & tunc est favorabilior *Zoel. in tit. de V. O. n. 10.* Singularis species stipulationis est fidejussio, quâ quis alterius obligationem, in majorem creditoris securitatem, recipit in fidem suam, obligatione principali manente *l. 1. §. 8. ff. de O. & A. l. 65. ff. de fidej. & mandat.* Ineunt hunc contractum creditor & fidejussor habilis. Inhabiles autem sunt milites & mulieres, quibus posterioribus competit beneficium **SCTI VELLEJANI**, nisi huic beneficio debito modo renunciaverint; quo casu tamen distinguendum, an fœmina ex constituto se obligaverit ad solvendum debitum alterius, & tunc illud solvere tenetur: an verò ex intercessione pro marito sit obligata, & tum de bonis receptitiis ad solvendum non est obstricta, cum creditori de jure suo tantum cesserit, vel remisit, ut is in concursu creditorum ratione privilegii, quod habet in bonis mariti ob dotem & bona paraphernalia, ipsi quo ad summam pro qua intercessit, præferatur. Obligatus itaq; fidejussor creditori tam diu, quam diu principalis obligatio durat, nisi per pactum liberatorium fidejussio ipsi remittatur, quod tamen nec debitori principali, nec confidejussori prodest *l. 23. ff. de pact.* *Vinn. tract. de pact. c. 16. n. 2.* sublato enim accessorio, debitum principale non tollitur, nisi expressè conventum sit, ne à reo quo-

que

que petatur, cui ex æquitate datur exceptio doli. *l. 2. §. ult. l. 26. ff. l. de pact. junct. l. 10. §. 2. ff. eod.* Contra debitoris pactum prodest fidejussori. *l. 21. §. ult. l. 62. ff. d. t. Vinn. d. tr. c. 13. n. r. 2.* Quod si plures fuerint fidejussores, singuli in solidum tenentur, quibus tamen competit beneficium excussionis sive ordinis *Nov. 4. cap. 1. aub. presente. C. de fidej. & mand* itemque divisionis. Sed si creditor unum confidejssorum pro parte conveniat, adversus illum non habet regressum, si cæteri deinde fiant non solvendo *arg. l. 18. C. de pact.* videtur enim creditor tacito pacto ei remisisse, ne pro reliquorum correorum personis conveniatur. Contractus literalis, in quo nihil ferè ad nostram materiam pertinens occurrit.

XXXVI.

Superfunt contractus, qui fiunt consensu quorum (i) est emtio venditio, quæ consensu initur de certa re, pro certo pretio tradenda *pr. ff. de emt. & vend. l. 1. ff. de contrab. emt.* Hinc si res ad certam quantitatem seu mensuram vendita, & in ea quid deficiat, venditor illud vel supplere, vel partem pretii remittere cogitur. *l. 40. §. 2. l. 38. pr. ff. d. t. junct. l. 4. §. 1. ff. de act. emt. vend.* Non solum autem in hunc contractum veniunt res corporales, sed etiam incorporales, quæ sunt vel universales: ut hæreditas, vel singulares, uti nomen & actio. Requiritur autem, ut pretium, quo nomen sive actio venditur, sit justum, æquivalens & verè numeretur *l. 22. 23. C. mandat. h. e. ut eadem summa persolvatur, quæ continetur in nomine, nec valet, si venditor partem debiti, titulo venditionis transferat in alium creditorem, reliquam verò partem per coloratam cedat donationem d. l. 23.* Hinc secundum Leg. Anastasianam, emtor actionis, plus à debitore exigere non potest, quam ipse pretii nomine venditori persolvit. *d. l. 22. & 23.* sed reliquum juxta Leg. istam lucro debitoris, cui remissum censetur, cedit; quare is majorem quantitatem præstare non est obstrictus, quam quâ creditor fuit contentus, nisi quibusdam casibus exceptis *Brunnem. ad l. 22. C. mandat.* Aliud obtinet in Foro Saxonico, ubi juxta *Decis. Electoral. 28.* Lex Anastasiana cessat, ita ut pro viliori pretio, si modo ad minimum dimidiam debiti partem adæquet summa, quæ tamen sine fraude exprimenda, & cessio subsistit, ita ut integra summa à debitore exigi possit. Nec locus est Legi Anastasianæ, si quis debitum alienum ad solvendū suscepit, & à creditore secundo remissionem impetravit.



Carpz. P. 1. dec. 67. n. 6. & seqq. Interdum accidit, quando emtor venditori pretium non statim solvit, ut instrumentum super contracta emtione venditione conficiatur, in quo emtor cavit, se intra certum tempus pretium soluturum; quod si verò postea venditor emtori instrumentum restituat, sive reddat, intelligitur quoque jus debitum exigendi remissum *arg. l. 2. §. 1. ff. de pact. modo constet*, quod illud eidem tanquam ejusdem cautionem reddere voluerit, quod in dubio non præsumendum esse Dd. putant, docentes; emtori hujusmodi instrumentum in dubio potius traditum videri, ut exinde jus suum docere & probare possit. Vid. Menoch. *de præsumt. lib. 3. præf. 140. n. 19.*

XXXVII,

Emtioni venditioni pacta adjici solent, vel circa substantialia, ea; interdum sunt *resolutiva*, quæ sunt duplicia; aut enim statim ab initio vim resolvendi accipiunt: v. g. si conventum ne emtor pretium solvat, & dicendum remissionem obligationis hoc pacto utrinq; factam, nec venditorem ad rem præstandam esse obstrictum; exposcente id æquitatis & æqualitatis ratione; quæ secundum Bachov. *in tit. de pact. rubr. de pactis resolutiv. n. 1.* est sententia *legis 1. vers. nam quod Aristo ff. de rescind. vendition.* Cæteroquin si pactum hoc simpliciter animo donandi conceptum sit, non dubitandum, quin venditor rem præstare teneatur. Aut verò illa pacta resolutiva vim & efficaciam accipiunt, postquam contractus jam perfectus, completus, & aliquando suis viribus subsistit in eventum appositæ conditionis, veluti pacti commissorii, quo cavetur, ut si pretium intra definitum tempus non persolvatur, res sit inempta & vis obligationis remissa. Item additionis in diem, ut si alius meliorem conditionem intra certum & adjectum tempus obtulerit, sive illa in pretii quantitate, vel solutionis loco & tempore, vel personæ qualitate, vel onerum priorum remissione, consistat *l. 1. l. 4. §. fin. l. 5. ff. de in diem addict.* quo casu uterque obligationem semel initam rursus remittit. Circa naturalia vel accidentalia si pacta adjiciuntur, similiter in continenti id fieri debet *l. 7. §. 5. ff. de pact.* hæc sunt vel augmentia vel minuentia, quæ obligationi aliquid detrahunt, v. g. si emtor venditori evictionis, vel etiam levis culpæ præstationem remittat.

XXXIIX,

Locatio conductio, quæ de certo usu rei, aut præstanda opera personæ pro certa mercede pecuniaria initur. Finitur hic contractus elapso tempore, ad quod expressè vel tacite fuit initus *arg. l. 13. §. fin. & l. 14. ff. locat.* nec antequam tempus conductionis finitum regulariter neque locator, neque conductor altero invito resilire potest *l. 24. §. 2. l. 27. §. 1. l. 55. §. fin. ff. d. r. l. 3. 15. C. eod.* siue quis per se, siue per alterum locavit aut conduxit *Carpz. l. 5. Resp. 78. n. 6. & seqq.* nisi iusta adsit causa *l. 3. C. d. r.* & quidem in locatione rerum (1) si merces promissa non solvatur, & locatio in quadriennium pro certa mercede, singulis annis solvenda sit contracta, & conductor intra biennium mercedem non solvat; etiamsi conventum sit, ne invitus ante quadriennium expellatur *l. 54. §. 1. l. 56. ff. eod. Franzk. ad eund. tit. n. 186.* tamen finito biennio potest expelli *Franzk. d. l. n. 181. it. 186. in fin.* Conductore verò expulso locator mercedem pro integris illis quatuor annis exigere non potest, sed tantum pro rata temporis præteriti & præsentis, reliquum verò remittere tenetur. *Franzk. cit. loc. n. 151. & seqq.* (2) Si locator aut ejus heredes ipsimet re locata indigeant *Trentacinq. lib. 3. tit. de locat. Resol. 4. n. 8. in fin.* conductor quidem cedere tenetur, sed merces pro rata temporis ipsi debet remitti *l. 3. C. locat. l. 27. l. 30. l. 35. ff. eod. Franzk. ibid. num. 146.* (3) si res locata necessario sit reficienda, & id commodè fieri non possit, quam conductore expulso *l. 3. C. d. r. l. 30. ff. eod. Christin. Vol. 3. dec. 115. n. 7.* qui si tempore refectionis domum inhabitare possit, licet cum modico incommodo, tamen nihil de mercede est remittendum. *l. 27. pr. ff. eod.* si verò non possit, finita refectione ipsi usus rei conductæ est restituendus & ad finem conductionis relinquendus *Trentacinq. d. l. n. 9.* tenetur tamen locans tantum remittere mercedem pro rata temporis, quo conductor stetit exul ab ea re conducta. *Trentacinq. cit. loc. n. 9. in fin.*

XXXIX.

Conductor quoque ante præfinitum tempus rem derelinquere non potest, nisi ex iusta causa, puta, si ædes ruinam minentur *l. 13. §. 6. l. 28. 33. de damn. infect.* item ob impetum hostium vellatronum *l. 13. §. 7. l. 34. ff. locat.* pestis aut alium justum metum *arg. l. 27. §. 1. d. r.* ibique *Godofred. in not. Franzk. ad h. tit. n. 120.* ita tamen, ut peste, aut alio timore cessante, conductor contractui



tractui usque ad tempus constitutum stare, & mercedem pro rata temporis, quo re conducta usus est, præstare teneatur, remissa mercede reliqui temporis, quo ob metam ea non est usus, etiamsi uno tantum mense non inhabitaverit *l. 27. §. 1. l. 55. §. 2. d. e. Carpz. P. 2. Const. 37. def. 10.* Ut verò conductor mercedem sibi remitti petere possit, requiritur, ut id denunciet, dummodo possit, antequam ex re conducta migret, aliàs quoque deterioratâ re locatâ ad refectionem damni tenetur. Franzk. *cit. l. n. 122.* Quòd si durante bello aut peste conductor non migret, sed in re conducta persistat, tamen si domum non propter solam habitationem conduxerit, sed etiam ut cauponam vel tabernam exerceat, & is in illo usu impeditus fuerit, tunc merces iudicis arbitrio pro parte est remittenda *arg. l. 15. §. 2. l. 25. §. 6. ff. eod. Franzk. in d. tit. n. 123.*

XL.

Ex hoc contractu duplex oritur actio, altera *locati*, quæ competit locatori, ejusque heredibus ad id, quod ipsi ex hoc contractu debetur *pr. §. de locat.* altera *conducti*, quâ conductor ejusque heredes adversus locatorem ejusque heredes petunt id, ad quod locator est obstrictus. Et quidem hac posteriori, in locatione *operarum*, locator ad operas fideliter præstandas obligatur *arg. l. 13. §. fin. ff. de re judic. l. 14. 72. 84 ff. de V. O. Vinn. ad §. fin. §. de V. O.* Si verò impediatur propter improvisam & inopinatam calamitatem, merces pro rata est remittenda, vel accepta, restituenda *l. 15. §. 6. ff. locat. Wissenb. ibid. th. 16.* Quòd si famulus morbo aliavè justa causa impeditus officium suum non præstet, licet in continenti ab eo cui inservit domo expelli non possit *l. 4. §. 5. ff. de statu lib.* tamen ratione illius temporis, ubi operas suas non præstitit, mercedem remittere tenetur *arg. d. l. 15. §. 6.* Casus enim fortuitus in persona ejus, qui operas præstat, nocere non debet ei, cui præstari debebant. Franzk. *in d. tit. n. 193. & seqq. Schot. in ff. Disp. 38. th. 12. Wissenb. in tit. locat. th. 17.* Qui verò tironem in arte instruendum & alendum ea lege suscipit, ut per triennium operas præstet, & 50. flor. solvat; tiro verò moriatur, tunc neque ejus heredes de 50. flor. quid repetunt, neque etiam dominus, si illos non accepisset, remittere tenetur, sed heredes integram summam solvunt. Tulden. *in C. tit. locat. n. 10.* Sin Dominus absque justâ causâ famulum ante tempus conventum expellat, hic de mercede promissa nihil remittit *l. 19. §. 9. l. 38. pr. ff. locat. junct.*

Junct. l. 161. de R. J. Franzk. in tit. locat. n. 190. nisi intra illud tempus alteri operas locaverit, & mercedem acceperit *l. 19. §. 9. in fin. ff. loc.* Contrarium in Advocatis Dd. obtinere volunt, si illis sit promissum annuum salarium, licet moriantur intra anni spatium, tamen heredes ejus pro rata temporis de salario remittere non tenentur, sed totius anni salarium rectè petunt *l. 38. pr. & §. 1. ff. locat. l. 15. §. 1. C. de Advocat. 1. l. 3. §. ult. l. 5. §. ult. C. de Advocat. 2.* Et si integrum salarium jam datum ab heredibus advocati, mortuo eo repeti non potest *l. 1. §. 13. ff. de var. & extraord. cognit. Gail. 1. obs. 44. n. 12. Carpz. P. 1. C. 1. def. 34. it. P. 2. C. 51. def. 12. n. 4. & seqq.* Cæterum si salarium in casum victoriæ, vel amicabilis compositionis promissum, advocato antea mortuo, integrum non datur, sed heredes pro rata remittunt. *Carpzov. P. 3. Resp. 1. n. 19.*

XLI.

In locatione verò rerum, locator conductori usum REI LOCATÆ præstare debet, *l. 9. pr. l. 15. §. 1. 2. in fin. l. 33. ff. locat.* & si conductor ob justã causam ea uti impediatur, tum locator pro rata temporis, pretii partem remittit, vel restituit *l. 30. pr. l. 35. ff. d. t.* Si verò casus fortuitus circa rem locatam existat v. g. incendium, tunc locator tanquam dominus casum ferre debet, & similiter mercedem conductori pro rata temporis, quo fructus non fuit, remittit, vel restituit. *d. l. 30. pr. l. 35.* non verò interesse præstat, *l. 15. §. 8. eod.* nisi ipse locator injuriã usum impediat, vel impedi-entem, cui prohibere ipsi erat facultas, non prohibeat *d. l. 30. pr. l. 25. pr. l. 33. in fin. Pantschm. P. 1. q. 13. n. 9. 10.*

XLII.

Quod fructus attinet & casus circa eos contingentes, scil. si sterilitas vel calamitas alia inconsueta illius loci vel temporis existat *d. l. 15. §. 8.* merces est remittenda; secus si tempore contractus subsit, ut colonus eam præscire potuerit vel debuerit: Hoc enim non casui fortuito, sed culpæ adscribendum, & sic damnium, quod quis sua culpa sentit, sentire non videtur *l. 203. de R. J. Gail. 2. obs. 23. n. 21. Franzk. in tit. locat. n. 124. Alvar. Valascus de jure emphyteut. quest. 27. n. 34.* Requiritur autem ut hæc calamitas non ex vitio ipsius rei oriatur, veluti si fundus sit sterilis, frigidus, sabulosus, saxo us *l. 13. ff. de reb. eor. que sub tut.* aut si ob vetustatem sit minus fructuosus *l. 15. §. 5. ff. locat.* vel si vinum coacuerit, vel si raucis aut vermiculis segetes infestentur *d. l. 15. §. 2.*

F

quæ



quæ omnia colono imputanda sunt, quòd talem fundum conduxerit. *d. l. 15. §. 2.* sed si *forissecus* propter vitium vel casum externum accidat, cui colonus nullo modo occurrere potuit *d. l. 15. §. 2.* puta aëris intemperies, incursus hostilis vel aliud simile malum. Franzk. *in d. t. n. 96. 98.* & quidem cum fructus adhuc sunt pendentes & in herbis existunt, quia sunt pars fundi *l. 44. ff. de reivind.* nam si colonus semel fructuum dominus factus est, exonerationem vel remissionem pensionis jure obtinere nequit, cum res pereat suo domino *arg. §. 3. J. de emtion.* Quod si colonus operas rusticas intempestive aut non debito modo faciat, remissionem petere non potest, licet illo anno sterilitas, vel similis calamitas secuta sit. *arg. l. 25. §. 3. ff. locat.* Valascus *quest. 27. n. 42.*

XLIII.

Ut verò colonus pensionis remissionem habere possit, necesse est, ut ad sit damnum enorme & intolerabile, quod ex arbitrio judicis est æstimandum, & secundum id merces vel in totum, vel pro parte est remittenda. *l. 15 §. 7. ff. locat.* Excell. Dn. Stryck. *in Cautel. contract. pag. 353.* nisi eadem locatio in plures annos sit contracta, quo casu anni præcedentes ac sequentes cum anno sterilitatis sunt conferendi, & si post deductionem impensarum, computatis omnibus fructibus, tantum fuerit collectum, quantum satis, ut integræ pensiones omnium annorum solvantur, compensatio, sin minus inveniatur, remissio fiat. Franzk. *in d. t. locat. num. 112.* Quòd si merces in singulos annos distributive constituta, ob anni præcedentis ubertatem remissio denegatur: ob sequentis verò fertilitatem remissio non suspenditur, sed quæ præcedenti anno facta, resolvitur, & integra etiam pensio pro illo exigitur, etiam si locator verbo donationis mercedem ob sterilitatem remiserit *d. l. 15. §. 4.* Franzk. *cit. tit. n. 108. 109.* Carpz. *P. 2. C. 37. def. 12.* Cæterum si pro omnibus annis conjunctim & collectim unica constituta sit pensio, remissio fit finita demum locatione, habita ratione ubertatis & sterilitatis totius temporis Franzk. *d. l. n. 110. & seqq.* Eadem obtinet ratio, si plures fundi una mercede locati fuerint: quo casu cum tantum una sit locatio, sterilitas & remissio in fructibus omnium fundorum simul sunt considerandæ.

XLIV.

Tenetur porrò locator conductorem indemnem præstare. Respicit verò indemnitas vel damnum quod conductor passus; vel im-



impensas, quas in rem locatam fecit. Quod prius attinet, si ex parte locatoris, dolo damnum fiat, in solidum ad interesse tenetur, si verò ex culpa, & ejus justa causa non fuerit, iterum in solidum est præstandum; si verò justa causa adfuerit ad id quod interest saltem tenetur. Quòd si autem justâ ignorantia ductus, pensionem pro rata remittere debet, *l. 19. §. 1. ff. d. t. Bachov. ad Treutler. Vol. 1. Disp. 29. th. 7. lit. C.* Si verò damnum ex parte conductoris existat & illud proveniat ex vitio rei ipsius conductæ, vel in illa & sine locatoris culpa, est ipsius coloni, & is frustra ejus restitutionem aut pensionis remissionem impetrat *d. l. 15. §. 1. arg. l. 23. de R. F. Carpz. P. 2. Const. 37. def. 21.*

XLV.

Quod impensas concernit, interest utrum fiant ad fructus colligendos & conservandos & illæ ad conductorem spectant *l. 7. §. 16. ff. solut. matrim.* an verò ad perpetuam rei utilitatem & ultra conductionis tempus duraturam, & repeti possunt, vel à locatore remitti debent *l. 55. §. 1. l. 61. pr. ff. locat. Garfias de expens. c. 14. n. 10. & seqq. Valascus de jure emphyteut. quest. 25. n. 32. & seqq. Franzk. in tit. locat. n. 168. & seqq. Carpzov. P. 2. Const. 37. def. 27.* Sic si conductor equi, de jure & natura contractus, expensas pro soleis ferreis, vel in ejus curationem fecerit, illæ à locatore ipsi de mercede sunt remittendæ *Garfias d. tr. c. 14. n. 10.* Expensæ verò quæ sunt necessariæ & utiles in rem locatam b. f. factæ de mercede conductori, si merces non soluta, sunt remittendæ, vel is eas dedit, *l. 61. pr. ff. locat. Garfias d. c. 14. n. 10. 13. & 14.*

XLVI.

Tributa, contributiones & sumtus metatorii, quæ personæ aut rebus coloni imponuntur ab illo sunt præstanda; quæ verò rei locatæ imponi possunt, à locatore sunt solvenda, quia quilibet de suo contribuere tenetur *arg. l. 4. §. 2. ff. de muner. & honor. l. 7. C. de donat.* Hæc verò si conductor se ea præstitisse probaverit, à locatore, si pensionem non solverit, ipsi sunt remittenda, aliàs habet jus repetendi *arg. l. 1. §. 3. de viapubl. Hahn. in tit. locat. n. 16. Garfias d. c. 14. n. 13. & 14.*

XLVII.

Societas, cujus effectus est obligatio, quâ socius socium cogit, ad res promissas & operas communicandas, nisi forsan alter socius malit interesse præstare *l. 65. §. 3. & 4. ff. pro soc. quo casu huic*



vinculum obligationis est remittendum. Mandatum, cujus effectus est, ut mandatarius negotium suscipiat & consummet, alias tenetur ad interesse *l. 5. §. 1. l. 27. §. 2. l. 8. §. 6. ff. mandat.* nisi mandans hoc remittat, vel etiam re adhuc integra illud revocet, quo casu mandans mandatario obligationem mandatum exequendi remittit, & sic ipsum liberat. Emphyteusis, *de quasupra th. 13.*

XLIX.

Sequuntur contractus innominati, quorum species sunt; contractus æstimatorius, permutatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Horum autem contractuum natura est, ut re adhuc integra contrahens contrahenti vim obligationis de dando aut faciendo licite remittere & pœnitere possit *arg. l. 1. §. 2. ff. de rer. permut. l. 3. C. eod.* imò cum ex sola datione aut ex solo facto in hisce contractibus obligatio nascitur, is qui dedit aut fecit pœnitere, & alteri promissum, sive ad id implendum paratus sit, vel non, remittere potest *l. 3. §. 2. l. 5. pr. ff. de condict. caus. dat. caus. non secur.*

XLIX.

Restant quasi contractus, quando ex ipso facto citra conventionem lex civilis consensum inducit, indeque alter alteri obligatur *§. 1. ff. de oblig. qua. ex quasi contr. nasc.* Ejusmodi est negotiorum gestio, administratio tutelæ de qua *supra th. 8. & 9.* rerum communium administratio, communio hereditatis, hereditatis aditio, indebiti solutio, quæ non solum indebitum solutum, sed etiam debitum nudo pacto remissum repetitur. Datio ob causam, quæ si causa futura honesta non sequatur hoc est, altera pars non steterit promissis, obligatur ad restituendum id, quod accepit *l. 1. & seqq. ff. de condict. caus. dat. caus. non secur.* Hinc si obligatio pure sub hac conditione fuerit remissa, ut rursus aliquid daretur, vel fieret, tunc si non fuerit datum, factum, aut non factum, res ipsa debita hac conditione repeti potest *l. 10. ff. d. t. Bachov. V. 1. Disp. 22. th. 1. lit. F.* Remittens enim hic non consentit absolute, sed sub conditione, quæ non apparente, remissio quoque est nulla.

L.

In pertractatis hucusque conventionum speciebus, vel nos ipsimet, vel alii nostrum nomine, qui vel in, vel extra nostram potestatem sunt constituti; ut personæ extraneæ, remittunt & rursus remissiones acceptant, qua de re egi *in part. 1. th. 4. & seqq.*

An



An. verò exercitor itemq; institor obligationes & actiones remittere, vel etiam ipsis remissiones fieri possint, de eo tenor præpositionis, semper est inspiciendus & attendendus.

L I.

Porro quædam sunt communia omnibus conventionum speciebus, ut præstationes damnorum, quæ dolo, culpa aut casu fortuito eveniunt. De dolo autem sciendum, quòd in omnibus contractibus sit præstandus, adeò ut pacto illius præstatio nullo modo validè possit remitti, cum sit contra bonos mores, adeoq; ipso jure nullum *l. 17. ff. commodat. l. 23. de R. J.* Præstatio verò culpæ cum non sit de essentia, sed tantum de natura contractuum, hinc paciscentes eas licitè remittunt, & sic v.g. in commodato non levissima culpa, sed tantum lata præstatur. Casus in nullo contractu regulariter præstatur, *d. l. 23. in fin. de R. J.*

L II.

Quibusdam conventionibus communia sunt Condictio triticaria, Ædilitium edictum, Evictionis præstatio, quæ posterior obtinet in quolibet contractu, in quo aliquid datur ex causa onerosa, etiam si de ea nihil fuerit dictum *l. 29. C. de evict. l. 1. ff. de rer. permut. Carpz. P. 2. Const. 34 def. 28. l. 4. 6. 29. C. de evict.* nisi per expressam conventionem illius præstatio sit remissa Burgund *tract. de evict. c. 39. & seqq.* quo casu tamen venditor si res evincatur, emptori pretium debet restituere per conductionem sine causa *l. 11. §. 18. de act. emt. vend. Franzk. in tit. de evict. n. 300.* quia bonæ fidei contractus non patitur, ut emptor rem amitteret, & pretium venditor retineret; nisi expressè ita conventum sit, ne liceret emptori pretium repetere, & ut totum emolumentum negotiationis & periculum ad emptorem pertineat *l. 10. ff. de heredit. vel action. vend.* Et sic venditor non rem, sed jus tale, quod ab auctore suo accepit præstat: Quippe tradendo emptori instrumenta, quæ ad originis suæ probationem pertinent, actiones quoq; suas adversus suum auctorem cessisse videtur *l. 2. C. de obl. & act. ministerio cessarum actionum.* Si quid certo loco promissum & in alio loco id præstetur, competit actio *de eo quod certo loco dari oportet.* Locus verò vel propter utilitatem rei est adjectus, & reus in minus, vel in utilitatem actoris, & reus in plus condemnandus, licet etiam hoc interesse loci legitimum modum usurarum excedat *l. 2. pr. & s. ult. ff. d. v.* Si ergo creditor debitum incerto loco solven-



solvendum, in alio sponte recipiat, eo ipso videtur interesse quod secundum *l. 8. in fin. d. 1.* petere poterat, remisisse. Item si actor à reo tam ad rem principalem, quam ad interesse persolvendam condemnato, rem principalem, absque protestatione recipiat, interesse loci & poenam moræ ei remisisse videtur *l. ult. d. 1.*

LIII.

Præstatio usurarum, quæ si debentur ex mora *l. 25. §. 1. ff. de pos. l. 17. §. 3. in fin. l. 32. §. 2. ff. de usur.* & principalis creditor sortem absque protestatione accipiat, usuras postmodum petere non potest, cum per acceptationem tacitè remittat & purget moram ejusque poenam *l. 49. §. 1. ff. de act. emt. vend. Mev. P. 1. Dec. 219. Carpz. P. 2. Const. 30. def. 12.* Idem dicendum, si per sententiam Judicis, principalis actio finita, inque ea usuræ non fuerint adjudicatæ *l. 3. C. de usur.* Contrarium verò obtinet, si usuræ pacto vel stipulatione sint promissæ, ibi enim duplex subest obligatio principalis, ita ut una sublata, altera adhuc maneat, (nisi ambæ in judicium deductæ, & super ista quoque pronunciatum. Quæ pronuntiatio extinguit actionem, facitque ut ei opponi possit rei judicatæ exceptio:) Nec requiritur ut creditor sponte & expressè usuras remittat *arg. l. 7. §. 1. ff. de liberat. legat.* Sed sufficit etiam, si tacitè illud fiat, debitum principale acceptando, vel si hoc nomine novandi animo purè stipuletur *arg. l. 8. pr. ff. de novat. l. 29. §. 1. ff. de V. O.* Interdum usuræ non in totum, sed pro parte remittuntur, si creditor per multos annos minores usuras, quam ipsi erant promissæ, accipiat, præsumitur enim majores remisisse, adeoque reus exceptione taciti pacti defenditur *l. 5. §. 3. C. de usur. vid. Hagen. cap. 8. n. 119. & seqq.* Idem quoque in annuis redditibus obtinere docet Bachov. *V. 2. Disp. 3. th. 4. lit. C. vers. bessales Hagen d. l. n. 119. & seqq.* Quòd si instrumentum ein Gültbrieff super eos fuerit confectum, illudque venditori sive debitori fuerit redditum, jus quoque annuorum reddituum intelligitur remissum *arg. l. 2. §. 1. ff. de pact.*

LIV.

Superfunt modi, quibus obligationes per varias conventionum species contractæ, iterum dissolvuntur. Finiuntur autem obligationes aut IP SO JURE, idque partium consensu, ut solutione, acceptilatione, novatione, quâ vetus obligatio tollitur *l. 2. ff. de novat.* ejusque accessoria omnia velut pignora, & adjecta poena *l. 15. 18. ff. d. 1.* ut & ejus privilegia

gia remittuntur; quod accidit, si uxor novationem de dote in it, amittit privilegium prælationis *l. 29 ff. d. t.* nisi novantes expressis verbis in instrumento sibi prospiciant, se non animo novandi & prioris obligationis tollendæ causa posteriorem interponere, ubi pristinæ obligationis cautelæ plenum vigorem retinent. *l. 3. 6. 7. ff. d. t.* Quod si ergo instrumentum obligationis, de debito ipso jure per solutionem vel alium modum extincto, reddatur; debitum nullum adhuc remittitur, sed creditor solum suæ obligationi satisfacit: Cum rem sine causa apud se existentem, reddere teneatur, & ad hoc si nolit, jure quoque conveniri possit *l. 2. C. de condict. ex leg. l. fin. C. de solut.* AUT OPE EXCEPTIONIS *l. 34. §. 1. ff. de O. & A. de qua th. 133.* aut alterius alicujus remedii, ut per restitutionem in integrum de quo *vid. infra thes. 61.*

L V.

Restat tertium factum obligatorium scil. DELICTUM, quod in genere est factum in se illicitum, contra legum prohibitiones sponte commissum, quo ad præstandum quid, patiendum vè se quis obligat *l. 25. §. 1. l. 4. de O. & A. pr. J. de obl. quæ ex delict. nasc.* Distiuguitur juxta L. L. Romanas in verum & quasi delictum *d. pr. Inst.* Verum in privatum, extraordinarium, populare & publicum. Antequam verò ulterius progrediamur hic prius monendum est, duplicem dari remissionem delictorum; quarum una fit à persona publica sive Principe & vocatur jus aggratiandi, quia gratia fit delinquentibus. Princeps enim ex justa causa in quantum juri divino & naturali non est contrarium veniam dat facinorosus, eosque à pœna planè absolvit, vel etiam eam mitigat. De qua re *vid. Magnific. Dni. Eichelii Disput. de remissionibus pœnarum & jure aggratiandi, habitâ Helmestad. anno 1657. Carpz. in Pr. Crim. Part. 2.* Verum cum abolitio quæ fit à Principe ad præsentem nostram materiam non spectet, missam eam faciamus & pergamus ad alteram speciem, quæ fit à persona privata. Illa ergo fit de delicto privato jam commisso sive præterito *l. 11. §. 1. l. 17. §. 6 ff. de injur. & famos. libell. l. 17. §. 1. l. 7. §. 17. ff. de pact.* Notandum tamen eum, qui de delicto commisso privato infamiam irrogante post litem contestatam transigit, & sibi illud remitti curat, pro confesso haberi & infamem fieri *l. 4. §. fin. l. 5. 6. §. 3. ff. de his qui not. infam.* Si verò hoc fit ante litem contestationem integra fama conservatur.

LVI.



Jam progredior ad genera delictorum privatorum, ubi occurrit (1) Furtum, quod est contrectatio fraudulosa invito domino lucrificandi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionis v. §. 1. 6. 10. *Inst. de obl. quæ ex del. nasc. l. 1. §. 3. ff. de fure.* Hinc qui dominum non consensurum & animo lucri faciendo furatur, licet dominus revera consensisset, actione furti non tenetur, cum dominus consensu eam remisisse videtur l. 46. §. 8. l. 43. §. 3. ff. d. e. §. 7. & 8. *F. de oblig. quæ ex delict. nasc.* Rittershus. *ad dict. §. 7. & 8. Inst.* Hodie aliquando pœna furti est suspendium Ord. Crim. Carol. *art. 159.* quæ tamen cessat, si fur rem excedentem quinque solidos furto ablatam domino restituat, aut ei pro damno dato satisfaciat, & in pœnam fustigationis vel relegationis mutatur d. Ord. *art. 160.* Quod si verò fur rem furto subtractam restituere non possit, suspenditur, nisi cum Domino transigat, vel hic ipsi rem furtivam condonet vel remittat, quo casu pœna ordinaria itidem in extraordinariam mutatur; cum Dominus nullum damnum sentire videtur, cujus restitutionem à fure non expectat. *Carpz. cit. Const. def. 18.* (2) Rapina (3) Damnum injuriam datum *Carpz. P. 4. Const. 32. def. 16. & 17.* (4) Injuria, quæ est vel realis vel verbalis; hæc fit vel in scriptis, vel sine scriptis. Tollitur injuria non solum morte §. 1. *F. de perpet. & temporal. act.* & præscriptione, sed etiam remissione quæ est vel tacita, ubi aut dissimulamus, nec injuriam passi statim ad animum revocamus, sed sine ulla offensa, vel commoti alienative animi indicio injuriam excepimus, & tunc postea ex pœnitentia remissam injuriam non possumus recolare *S. ult. F. de injur. l. 11. §. 1. ff. eod.* *Wissenb. ad ff. in tit. de injur. ib. 29.* *Carpz. P. 4. C. 46. def. 8.* aut negligimus injuriam ad animum semel revocatam v. g. si postmodum pristina familiaritate cum injuriante utamur; modo ad hoc non ex necessitate honestatis teneamur. *Carpz. d. Const. 46. def. 8.* vid. *Gail. de arrest. c. 14. n. 9.* *Perez. in C. de injur. n. 23.* Quod si Clericus injuriatus confitentem injuriantem absolvat, injuriam remisisse non videtur: intelligitur enim hunc actum celebrari tantum inter peccatorem & Deum, non hominem & hominem. *Carpz. Consist. lib. 3. tit. 2. def. 25. n. 8.* Vel expressa, quæ injuriam passi pacto, vel transactione injuriam nobis illatam remittimus, l. 27. §. 2. ff. de pact. l. 11. §. 1. l. 17. §. 6. ff. de injur. Non verò injuria plenè remittitur ab eo, qui periculoso

culoso morbo decumbens, veniam in templo per Divini verbi ministrum precatus est, & postea reconvalescit; nec etiam per generalem confessionem ante usum cœnæ dominicæ, neque etiam orationis dominicæ recitationem, ibi enim rancor & odium privatum, non vero vindicta legibus permessa & publico utilis remittitur Matth. *in lib. 47. ff. cap. 1. n. 15.* Sand. *dec. frif. lib. 5. tit. 8. d. 12.*

LVII.

Patitur autem quis injuriam non solum per semet ipsum; sed etiam per uxorem suam, itemque liberos suos, quos in potestate habet §. 2. *J. de injur.* quo casu pater actionem simul proprio & filii nomine instituit; nisi pater sit absens, nec procurator quisquã existat *l. 17. §. 10. & 12. ff. de injur.* injuriamq; filio illatam remittere atque condonare potest *d. l. 17. §. 12.* Si autem pater sit vilis abjectaque persona, filius verò in dignitate constitutus, filio injuriarum actio danda, nec pater eam remittere valet *d. l. 17. §. 13.* Quoad uxorem tamen notandum, maritum agere posse non solum proprio, sed etiam uxoris nomine, ita tamen ut tanquam defensor uxoris non aliter in judicio admittatur, quam mandato uxoris instructus; cum factum uxoris requiratur, scil. declaratio, quòd injuriam ad animum sibi revocaverit; alias enim remissionem injuriæ factam esse ab uxore præsumitur ob charitatem Christianam. Excell. Dn. Rivinus, *in specimine exception. cap. 7. n. 20. edit. noviss. de anno 1688.* Quem admodum verò per illatam injuriam fama injuriati non læditur *l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit. l. un. in fin. C. de famos. libell.* sic quoque verba vel facta injuriosa salvâ existimatione remitti possunt Carpz. *Pr. Crim. P. 2. q. 95. n. 90. & seqq.* neque etiam is, qui propter Christianam charitatem eam remittit, famæ periculum facit *arg. l. 3. C. de injur. l. un. C. de famos. libell.* potest tamen justè & necessario vindicari, si inde orta sinistra opinio latius serpat, aliisque sit nocitura, & ne delicta maneant impunita vid. Ames. *cas. conscient. lib. 5. c. 3. n. 6. 1. Petr. 2. vers. 14 a. Rom. 12. v. 19.* Porro remittens injuriam injurianti, non simul censetur remisisse damna, & interesse *arg. l. 7. pr ff. de condict. furtiv. Schneidw. ad Inst. §. fin. n. 10. lit. a. de injur. Perez. in C. de general. abolit. num 7.* nemo enim tenetur æstimationem damni remittere, sed sufficit, si iracundiam condonet *can. 5. q. 3. caus. 2.* In delictis extraordinariis & popularibus, nihil speciale occurrit. Remissionem tamen etiam in hisce extraordinariis crimi-

criminibus mitigationem pœnæ operari patet ex Responso Juris adducto à Joh. Ottone Tabor. *in racemat. criminal. de crimine stellationatus, sub ratione decidendi 8va.*

LIX.

Delicta publica varia sunt; interdum autem accidit, ut etiam privata persona iis lædatur. Quo spectat adulterium, & hoc conjux conjugi remittere potest, de quo *supra th. 5.* Stuprum violentum, gladio punitur; nisi virgo vel vidua stuprata, pro stupratore intercedat, eique nubere velit. Quo casu pœna capitis remissa, violentus stuprator matrimonium cum stuprata contrahens, in perpetuum relegatur, eumque stuprata sequi tenetur. Carpz. *Pr. Crim. quest. 75. n. 65.* quia hæc ratione videtur stuprata evitare ignominiam, quam incurreret, si stuprator illam non duceret, & in illius favorem est constitutum. Quod crimen falsi attingit, variat illius pœna pro ratione circumstantiarum, & est fustigatio, iniustio signi, relegatio aut carcer, imò etiam aliquando capitalis, si circumstantiæ hoc exigunt, Ord. Crim. Carol. *art. 112.* Carpz. *Pr. Crim. P. 2. q. 93.* Farinac. *Pr. Crim. P. 2. q. 150.* Jul. Clar. *S. falsum. n. 24.* Si verò hoc crimine deceptus, pacto illud remiserit. *arg. l. 19. C. de transact.* obstat ipsi postea exceptio doli, vel replicatio *l. 1. §. 2. ff. de dol. mal. & met. except.* Quasi delicta sunt, quæ cui ex facto alieno, eorum scil. quos quis adhibet, imputantur, v. g. damnum aut furtum in navi, caupona vel stabulo commissum, teneturq; Dominus ad resarcitionem damni, nisi expresse vel tacite illud remittatur.

LIX.

Hactenus de remissionibus privatorum ratione juris personarum & rerum. Videamus nunc quid circa actiones, in materia actionum occurrat, & quidem, quis habet jus certum & indubitatum, & illud gratis, vel accepto pretio remittit; aut dubium ac incertum, & de eo transigit *l. 1 ff. de transact.* vel legitimo modo in iudicio persequitur. Personæ transigere valentes in genere sunt, quæ pacisci possunt, de quibus *vid. Part 1. th. 4. & seqq.* in specie verò quædam regulariter prohibentur, ut Procuratores, tutores &c. Jus in iudicio legitime persecuturus (de quo breviter saltem agam & pauca, quæ ad remissionem faciunt, referam) hæc quatuor præcipue habet observanda (1) Personas iudicium constituentes (2) causam in iudicium deductam (3) formam procedendi & (4) finem.

LX.

LX.

Personæ judicium constituentes sunt vel principales, ut Actor, Reus & Judex, vel minus principales, ut Advocati, Procuratores, Executores, Nuncii. Actor est, qui aliquid in judicio petit, seu qui ab alio sibi aliquid dari vel fieri intendit; hic omni tempore, si justam litigandi causam habet, à lite desistere, & reo id quod ab ipso petebat condonare ab remittere potest. Reus est contra quem lis, seu actio in judicio instituitur. Judex qui causam cognoscit, & legitimo processu observato sententiam profert. Constituitur vel à Superiore, vel à partibus: Hic dicitur arbiter compromissarius, qui mutuo litigantium & suo consensu, interdum etiam pœnâ adjectâ constituitur. *l. 27. §. fin. ff. de recept. qui arbit. receper. l. 5. C. eod.* Possunt tamen partes pacto vel stipulatione pœnam, vel interesse remittendo, à compromisso recedere. *l. 13. pr. l. 32. §. 2. ff. d. t.* Qui à superiore constituitur, judex in specie nominatur, in quo requiruntur Jurisdictio, competentia & habilitas. In genere autem de judice notandum, quod ipsi non liceat id, quod actori indubitâtè debetur, remittere, nec etiam decreta facere, quæ sapiunt donationem. *l. 12. C. de transact.* Personæ minus principales ut Advocati & Procuratores, nec pacto, vel alia conventionem absque speciali mandato, si illud generali non insertum de jure principalis Domini quicquam remittere valent. *Carpz. in process. tit. 5. art. 2.*

LXI.

Causa in judicium quæ deducitur, est vel ecclesiastica vel secularis, hæc Civilis vel Criminalis. Unde judicium in Civile & Criminale distinguitur. Porrò ratione causæ vel illæ sæ & salvæ, vel læsæ, in judiciū simplex & rescindens iterum dividitur. In simplici, ordinaria actione, eaq; vel præjudiciali, vel in rem, vel in personam, vel mixta rem meam hæctenus salvam & illæsam persequor. In rescindente verò peto omni alio ordinario remedio destitutus, per Extraordinarium auxilium, restitutione scil. in integrum rescindi ea, quæ mero & sumo jure civili valent. *l. 16. pr. ff. de minor.* Causæ, ob quas legitime conceditur sunt Metus. Negotia enim metu gesta stricto jure subsistunt, nec distinguendum inter negotia bonæ fidei & stricti juris. *l. 9. §. 3. l. 21. 23. ff. quod met. caus.* quibusdam tamen casibus negotia metu innita, sunt ipso jure nulla ac irrita, ut dotis promissio metu extorta. *l. 21. §. 3. d. t.* Aut verò metu atroci adactus,

adactus, se tantum obligavit ad dandum, & sic res est imperfecta
l. 9. §. 3 ff. quod met. caus. & exceptio metus: aut quid dedit, vel
 REMISIT & actio quod metus causa locum habet; quæ datur ad
 id, ut omnia in pristinum statum restituantur *l. 10. 11. 12. ff. d. t. h. e.*
 ut obligationes extortæ rescindantur, remissa debita redinte-
 grentur, fidejussores se in obligationem reponant, pignora reddi-
 ta & hypothecæ remissæ in eandem causam restituantur. *d. l. 10.*
 §. 1. Dolus, Minorennitas, Capitis deminutio, Absentia, Aliena-
 tio, iudicii mutandi causa facta, Generalis verò causa restitutio-
 nis in his edicti verbis continetur; Si qua alia mihi iusta causa esse
 videtur in integrum restituiam *l. 1. §. 1. in fin. ff. ex quib. caus. maj.*
25. Ann.

LXII.

Forma iudicii consistit in Processu, qui est vel Civilis vel Cri-
 minalis. Civilis est vel ordinarius & sollemnis, vel extraordinarius
 seu minus sollemnis; hic iterum est vel summarius in specie, vel
 Executivus. In modo procedendi hodierno consideranda sunt:
 illa quæ iudicium præcedunt; quæ in ipso iudicio fiunt; & quæ
 iudicium hoc finitum sequuntur. Quæ iudicium præcedunt, sunt
 vel substantialia vel accidentalia: ad illa spectat supplicatio pro-
 citatione, ipsa citatio & libellus. Citatio est vel realis; & cum sit
 principium ac fundamentum cuiusque processus civilis *§. ult. f. de*
pen. tem. litig. ideo nec in notoriis omitti potest, nisi citationis so-
 lennitatem pacto litigantium remissam esse appareat Brunnem.
in Proc. Civil. cap. 3. n. 24. Ad accidentalia pertinent contumacia;
 dilatio, quæ ultra quartam non solet concedi, nisi is qui petit, prius
 iuramentum præstiterit, quod eam non dolosè aut malitiosè po-
 stulet *c. 15. & pen. X. de testib. Nov. 90. c. 4. Gail. 1. obs. 91. n. 19.*
 Imò si pars adversa non magnopere urgeat, aut expressè remittat,
 posse & iudicem iuramentum, dum quartam indulget, condona-
 re. *Carpz. Proc. tit. 13. art. 1. n. 166.* Satisfactio seu cautio, quæ
 non habet locum, si vel pars adversa eam non petat, ubi videtur
 tacitè eam remisisse; vel etiam si eam petierit, postea expressè
 per pactum remittat aut condonet. Item exceptiones dilatoriæ,
 quas remisisse censetur, si eas debito tempore non opposuerit, v. g.
 si in primo termino non objecerit fori declinatoriam, eo ipso vi-
 detur consensisse in iudicis incompetenti jurisdictionem *Carpz.*
in Proc. tit. 9. art. 2. n. 8.

LXIII.

LXIII.

Quæ in ipso iudicio fiunt itidem sunt vel Substantialia vel Accidentalibus. Ad illa referuntur Litis contestatio, exceptiones peremptoriæ, probatio, conclusio causæ seu submissio, & sententia. Litem contestatam & exceptiones aliquando peremptorias objectas, sequitur probatio, quæ de facto controverso iudici fit fides. Perez. *in C. tit. de probat. n. 2.* Incumbit hoc onus probandi illi, qui nulla præsumptione munitus aliquid in iudicio affirmat, sive sit actor, sive reus. Reus enim in suis exceptionibus habetur loco actoris *l. 2. l. 19. pr. l. 21. ff. de probat. & presumt.* Hinc cum remissio non præsumatur, allegans eam tenetur probare. Tabor *in thesaur. Barbolæ locuplet. pag. 707. n. 6.* Nam verba renunciationis itemque remissionis sunt indubio interpretanda contra illum, qui se in remissione fundat. *l. fin. C. de solut. & liber. Hartm. Pistor. Obs. 49. n. 12.*

LXIV.

Probatio autem quæ fit per testes & quidem duos habiles plenam meretur fidem *l. 12. ff. de testib.* Sed requiritur, ut coram iudice in præsentia partium de pœna perjurii admoneantur, & hoc facto iuramentum deponant, alias eorum testimonium est nullum *l. 9. C. de testib.* neq; ab hoc iuramento immunes sunt Clerici. *c. 39. & 51. X. de testib.* Carpz. *lib. 3. def. Eccles. 22. & 23.* Fincelth. *obs. 95.* Hahn. *in tit. de testib. n. 5.* nisi utraq; litigantium pars, testibus iuramenti præstationem remiserit, ipsorum tamen depositio, non obstante factâ remissione pro jurata haberi & æstimari debet Fibig. *in Process. p. 609. §. 12.* quod tamen si de matrimonio solvendo, vel de præiudicio publico agitur, non est concedendum Setser. *de juram. lib. 3. cap. 9. n. 38.* multo minus in criminalibus, quæ sunt negotia maximi ponderis, adeo ut nec consensu inquisiti iuramentum remitti possit. Carpz. *Crim. P. 3. q. 114. n. 64.* Omnia enim debent candidè & sincerè fieri; hinc iuramento à testibus non præstito, in inquisitione non potest progredi ad torturam, multo minus ad condemnationem *c. 38. X. de testib. & attestat.* Carpz. *Crim. P. 3. q. 114. n. 63. & seq.* Quod si hodie subditi adversus Dominum suum, vel rustici contra nobilem testari debeant, remittendum ipsis est quoad illum actum vinculum & nexus subjectionis Carpz. *P. 1. Const. 16. def. 64.*



Præterea deficiente ordinaria probatione per instrumenta & testes, loco probationis iuramentum defertur. Hoc sive sit voluntarium, sive iudiciale, à deferente vel referente adversario ejus à se delatum vel relatum, etiam ad jurandum jam parato remitti potest, contentus sc. voluntate suscepti jurisjurandi *l. 6. ff. de jurejur.* Nec remissio iuramenti solum præsentis, sed etiam absentis & ignorantis, adeoque per epistolam fieri potest *l. 41. d. t.* Cæterum cum utrumque iuramentum sit instar transactionis *l. 2. ff. d. t.* hinc si remittatur, eundem cum præstito habet effectum *l. 6. l. 9. §. 1. d. t.* & pro legitima probatione habetur *l. 5. §. 2. l. 11. §. 3. ff. de jurejur.* quare iuramentum voluntarium si juraturo sit remissum, parit à parte rei exceptionem in factum ex jurejurando *§. 4. F. de except. d. l. 9. pr. & §. 1. l. 13. §. 3. l. 28. §. ult. ff. de jurejur.* quæ etiam hæredibus, correis debendi & fidejussoribus prodest *d. l. 28. §. 1. & 4. d. t.* cum sit in rem non in personam *l. 7. §. 1. ff. de except. & præscrip.* A parte actoris datur actio in factum ex jurejurando *d. l. 28. §. ult. §. 11. F. de action.* ad omne id quod erat in priora actione *l. 11. §. 1. l. ult. ff. de jurejur.* Franzk. *in tit. de jurej. n. 162.* nisi prior actio inficiando crescat, tum hæc tantum in simplum datur *l. 30. pr. ff. d. t.* Quod si accidat, ut is qui suscepit iuramentum antequam illud præstet, moriatur, tacite iuramentum remissum esse non puto, cum Bachov. *V. 1. disp. 21. th. 10. lit. G. in fin.* statuentem, susceptum jusjurandum pro præstito non esse habendum *arg. l. 44. l. 55. ff. de cond. & demonstr.* Licet in iudicando aliter observari tradat Gail. 2. O. 43. Carpz. *lib. 6. resp. 120.* Iuramentum verò iudiciale, si remittatur æquè ac præstitum pro legitima probatione habetur *l. 5. §. 2. l. 11. §. 3. d. t.* & subsequitur ei sententia iudicis vel condemnatoria, si actori illud sit remissum, & reus pro confesso habetur; vel absolutoria si actor reo illud remiserit *l. 34. §. ult. ff. d. t.* vel expressè, vel tacite; & tacite quidem, si deferens in casu, quo iuramentum calumniæ ab eo legitime est petitum, idque ad præstandum citatus absque legitima causa emanat, aut præstare detrectet, siquidem his casibus iuramentum principale pro præstito habetur *l. 37. ff. de jurejur. c. 7. X. de pign. Churfürstl. Sächs. Proc. Ordn. tit. 18. §. 6. Brunnem. ad l. 9. n. 6. & seqq. C. de reb. credit.* Ex quo datur tum actio, tum exceptio rei iudicatæ utilis, non enim ex sola iudicis sententia, sed ex
liti-

litigantium & juramentum remittentium voluntate simul descendit *l. 8. C. de reb. cred.* Causa in iudicio plenè ventilatà, ad causæ conclusionem seu submissionem iudex progreditur, cui sequitur sententia, vel interlocutoria vel definitiva. Ad accidentalia quæ in ipso iudicio fiunt, spectat juramentum calumniæ, quod remitti potest tacitè vel expressè; *tacitè* in foro Sax. juxta *Churf. Sächf. Proc. Ordn. tit. 18. §. 6.* si citationem petens ad præstationem juramenti principalis, negligat citari deferentem ad jurandum de calumnia; vel *expressè* si is qui juramentum principale jurare debet, remittit deferenti consultò juramentum calumniæ; quod cautelæ loco interdum reis suadent advocati, sibi persuasi, quòd actores teneantur refundere expensas processus, præstito à reo litis decisorio, quam refusionem actores communiter evitant, si juramentum calumniæ præstent, & remissionem juramenti calumniæ non acceptent, ac eo ipso, se probabilem litigandi causam habuisse comprobent. Interventio, litis denunciatio & interdum litis reassumptio.

LXVI.

Dictum fuit de processu ordinario, agendum nunc esset, antequam ad ea quæ iudicium sequuntur progrediamur, de processibus summaris & executivis, ad quos in foro Saxonico processus Arresti videtur pertinere. Cum vero parum in illis, quòd remissionem sapit, occurrat, hisce missis ad ea quæ iudicium sequuntur properemus. Sententiæ igitur litigantes vel acquiescunt, vel non: Si prius, & expensæ, usuræ, vel aliud quid sit præteritum, nec adjudicatum, post decendum sententia transit in rem iudicatam, si gravatus eam non oppugnet, & quòd præteritum tacitè quoque videtur remissum. Imò etiam non expectato decendio ea pro iudicata habetur si uterque litigantium consentiat. *Leipziger Handels Gerichts-Ordn. art. 15.* Si posterius, sequitur sententiæ ab effectu reijudicatæ suspensio vel oppugnatio. Nimirum per remedium nullitatis *t. t. ff. quæ sentent. sine appell. rescind. C. t. t. C. quand. provoc. non est necess.* Supplicationem *l. un. C. de sent. præfect. pratorio. Reichs-Abschied zu Speyer de anno 1600. Es soll aber den Unterthanen. Leuterationem & Oberleuterationem, quæ in quibusdam locis sunt receptæ. Restitutionem in integrum de qua *th. 61.* Appellationem, in qua tria tempora, seu fatalia observanda; quorum primum est appellationis interponendæ, quod olim*



olim variabat *l. 1. §. 5. 6. 7. ff. quand. appelland. sit* hodie vero indistinctè appellatio intra decendum interponenda est. *Nov. 23. c. 1. Auth. Hodie C. de appell. & consultat. c. 8. de Appellat. in 6to Ord. Cam. P. 2. tit. 29. §. 2.* Et hoc tempus neq; partium consensu, neq; autoritate judicis prorogari potest *Mynsing. cent. 4. obs. 68. & cent. 3. obs. 11.* Si tamen partes lapsum hujus fatalis sibi remiserint, judex remissionem illam debet attendere *Mev. P. 3. dec. 110.* Secundum est appellationis introducendæ coram judice ad quem, quod in Camera est spatium semestris. Tertium est justificandæ appellationis, quod est spatium unius anni civilis, vel etiam ex justa causa biennii *Carpz. Proc. tit. 8. art. 5. n. 8. 9. 15.* prorogari quoq; potest expresso partium consensu *Gail. 1. obs. 141. num. 5. 6.* Revisionem actorum *Ord. Cam. P. 3. tit. 53. R. J. de anno 1654. §. 124. usq; ad §. 133. inclusive.*

LXVII.

Quod si sententia in prima, vel in secunda instantia transeverit in rem judicatam, & victus sponte non præstet, quod sententia exigit, succedit rei judicatæ executio, quæ est finis & effectus judicii ultimus *l. 1. ff. de re judic.* Sin verò plures adsint creditores, & illis ex bonis debitoris satisfieri non possit, attendendum qui in concursu creditorum secundum potiora jura sint præferendi, de quo pluribus egi supra *th. 29.*

LXVIII.

Atqui hæc de Processu Civili pro REMISSIONE JURIS PRIVATORUM sufficiant. Restat Criminalis, qui est vel accusatorius vel inquisitorius. Cum verò in delictis gravioribus pœnarum remissiones ut plurimum fiant à principe, nostri verò instituti non sit de illis hîc agere; deq; remissione etiam, quam privati in delictis faciunt *th. 55. & seqq.* sit actum. Quare hic subsisto & DEO cum quo incepti, etiam in fine hujus laboris *solo* do gloriam agoq; gratias!




Altdorf, Diss., 1687-89

X 242 1873

WMA







23

12

43

1688

30

7.58

DISPUTATIO INAUGURALIS
De
REMISSIONE
JURIS PRIVATORUM,

QUAM
PRÆSIDE
DEO TER OPTIMO MAXIMO

EX
DECRETO ET AUTHORITY

MAGNIFICI
LECTORUM ORDINIS

IN
ILLUSTRI ALTDORFFINA
PRO

Summis in utroq; Jure Honoribus ac Pri-
vilegiis Doctoralibus ritè consequendis
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
submittit.

GERHARD von Seerden /
Bremâ Saxo.

ANNO M. DC. LXXXIIX. DIE XXVI. JUN.

ALTDORFFI,
Literis SCHÖNNERSTÆDTIANIS.

